DE

N° 27.

EUPHORBIACEARUM

GENERIBUS,

MEDICISQUE EARUMDEM VIRIBUS

TENTAMEN,

Quod in aulâ publicâ saluberrimæ Facultatis medicæ parisinæ, die 14 *mensis februarii* 1824, *propugnare conatus est*

ADRIANUS DE JUSSIEU,

è Societate historiæ naturalis parisiensi.

PARISIIS,

EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Facultatis medicæ parisinæ.

1824.

FALCUTAS MEDICA PARISINA.

Professores.

Domini	Domini
LANDRÉ-BEAUVAIS, Decanus	
ALIBERT.	FIZEAU.
BÉCLARD, *Præses.*	FOUQUIER.
BERTIN, *Vicarius.*	GUILBERT.
BOUGON.	LAENNEC.
BOYER.	MARJOLIN.
CAYOL.	ORFILA.
CLARION.	PELLETAN filius.
DENEUX.	RÉCAMIER, *Examinator.*
DÉSORMEAUX.	RICHERAND.
DUMÉRIL.	ROUX, *Examinator.*
DUPUYTREN.	ROYER-COLLARD, *Examinator.*

Honorarii Professores.

CHAUSSIER.	LEROUX.
DE JUSSIEU.	MOREAU.
DES GENETTES	PELLETAN.
DEYEUX.	PINEL.
DUBOIS.	VAUQUELIN.
LALLEMENT	

Ad explendas Professorum vices adscripti.

Adelon.	Kergaradec.
Alard.	Maisonnabe.
Arvers.	Moreau.
Breschet.	Murat.
Capuron.	Parent du Chatelet.
Chomel.	Pavet de Courteille.
Cloquet aîné, *Vicarius.*	Ratheau.
Coutanceau.	Richard.
De Lens.	Rullier, *Examinator.*
Gaultier de Claubry.	Ségalas, *Examinator.*
Guersent.	Serres.
Jadioux.	Thévenot.

Nono decembris mensis die, anno 1798, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

PATRI OPTIMO.

A. DE JUSSIEU.

Studio botanices deditus, in sumendo medicæ thesis argumento, tale quæsivi quale utrique scientiæ commune foret; mentique occurrit linnæanus ille aphorismus : « *Plantæ quæ genere conveniunt,* « *etiam virtute conveniunt; quæ ordine naturali continentur, etiam* « *virtute propiùs accedunt.* » Fœcundissima sanè atque utilissima sententia, ex quâ optimus ordinum naturalium conditor non pharmacologiæ minùs quàm rei herbariæ auxilietur; fiat medicamentorum facilior cognitio tutiusque experimentum; quibusdam deficientibus, alia succedanea semper in promptu sint; et in longinquis ignotisque regionibus, plantarum vixdùm cognitarum vires jam præsagiri possint, tentari atque mederi.

Opera jam exstant duo quibus illa veritas explicatur atque confirmatur : alterum scilicet elegantissimum clari De Candolle de proprietatibus plantarum tentamen, in quo familiæ omnes recensentur, et quænam huic legi pareant, quænam ab eâ recedant pauciores aut minùs notæ, docetur, sed summatim et compendiosè, ut auctorem peritum in opere generaliori decet; alterum nuperrimè ab amicissimo A. Richard editum, qui tùm botanicè tùm medicè plantas secundùm ordines naturales dispositas describit, sed eas tantùm quæcumque sunt in usu. Animus mihi fuit de tot familiis unam tantùm seligere de quâ fusiùs dissererem, expositis, hinc generum ejus omnium characteribus, indè virtutibus quibus horum unumquodque valere dicitur; cùmque Euphorbiacearum genera quædam obscura sint, et omnia prætereà virium similitudine insignia, de his agere pretium operæ mihi visum est.

Dividitur igitur hæcce dissertatio in partes duas, hanc botanicam, illam medicam. Sed posterior præsertim quàm sit imperfecta non me fugit, qui hanc scripserim, sæpiùs vagis viatorum botanicorumque documentis, rarò certioribus medicorum testimoniis, nunquàm pro-

priæ experientiæ innixus. Inusitata enim medicamenta explorent tantùm viri consummatissimi : nobis autem tyronibus periculum facere non licet, sed diù aliena vestigia sequi tantùm, antequàm ipsi longo labore atque usu edocti duces aliis fieri possimus. Quantulùm igitur in me fuit, feci; libros medicorum nostratum exterorumque, sicut et peregrinatorum qui de historiâ naturali scripserunt, evolvi; sedulò quidquid ad meam materiam spectaret collegi, assertionibus singulorum inter se comparatis et auctoritate ponderatâ.

In hâc parte quæritur quænam sit Euphorbiacearum vis generalior, et quemadmodùm ipsa, quamvis ejus natura sibi semper constet, variis tamen modis operetur; quibusnam principiis sit tribuenda, ac ideò quo modo leniùs vehementiùsve agere, quo mitigari aut dissipari possit; quænam denique alia principia sint in pluribus speciebus notanda. His expositis, ut exemplis confirmentur, enumerantur deindè ordine alphabetico species, quascumque vi aliquâ valere narrant auctores. Quorum ipsissima verba transcripsi, quotiès potis me fuit : multa igitur vocabula, hodiè medicinæ et physiologiæ progressibus planè obsoleta, hìc invenientur, quæ retuli tantùm ne sensum interpretando adulterarem. Quotiès autem textus ipse servari non poterat, nunc diversâ linguâ scriptum summâ fide in latinam transtuli, nunc longiorem sedulâ analysi contraxi. Si quæ tandem proposito meo contradicere videbantur, nulla tamen omissa sunt, ut fieri decet.

In parte botanicâ genera recensentur octoginta quinque; cuilibet additur specierum tùm ab auctoribus descriptarum, tùm in herbariis ineditarum, numerus et patria; et indicantur prætereà, si quæ paulisper à congeneribus discrepent, aut peculiari quâdam notâ insigniantur. Genera quædam vetera delenda aut aliis dubiè consocianda mihi visa sunt; quædam nova instituenda è plantis, sive jam cognitis, sed in genere suo anomalis, sive novis, quæ mihi non paucæ suppetierunt, cùm herbaria urbis ditissima humanissimè, ut fit, meis indagationibus patuerint.

Gratiæ hìc persolvendæ omnibus hujusce laboris fautoribus, ut viro

non benevolo minùs quàm docto R. Desfontaines, et doctissimis quoque, quamvis junioribus, C. Kunth, A. Richard, A. de Saint-Hilaire, qui me nunc suarum divitiarum participem fecêre, nunc talibus adjuverunt consiliis, qualibus ego nihil melius atque anteponendum censeo, nisi tamen ipsorum amicitiam. De optimo patre eodemque magistro taceo : sed ad eum cui me quidquid ego sum aut scio debere fateor, semper, quantulùm laudis tribuetur mihi, recurret, veluti rivulus ad fontem undè defluxit uberiorem. Utinam hoc tentamen ejus nomine non nimis indignum judicetur !

NOMINA AUCTORUM LIBRORUMQUE ABBREVIATA.

Adans. — Adanson. Familles des plantes.
Ait. — Aiton. Hortus kewensis.
Alib. — Alibert. Elémens de thérapeutique et de mat. médic., 4.e édit.
Ann. Mus. — Annales du Muséum d'histoire naturelle.
A. P. T. — Aubert du Petit-Thouars. — Gen. mad. — Genera nova madagascariensia.
——— Voy. — Voyage dans les îl. aust. d'Afrique, partie botanique.
Aubl. — Aublet. Histoire des plantes de la Guiane française.
Barb. — Barbier. Matière médicale.
Boerh. — Boerhaave. Index. plant. hort. Lugduno-Batav., 1727.
Bonpl. — Bonpland. *Voy.* Humboldt.
P. Br. — Browne (Patrik). The civil and natural history of Jamaïca.
R. Br. — Brown (Robert). Gen. rem. — General remarks on the botany of Terra australis.
——— Obs. herb. Cong. — Observ. on an herbarium from the Congo.
——— Prodr. — Prodromus floræ Novæ-Hollandiæ.
Burm. Ind. — Burmann. Flora indica.
Cav. ic. — Cavanilles. Icones et descriptiones plantarum.
C. B. — Caspar Bauhin.

Clus. — Clusius.
Commel. — Commelyn. Hortus amstelodamensis.
Commers. — Commerson. Mss. et icones ineditæ.
D. C. — De Candolle.
Desbois-Rochefort. — Matière médicale, édit. de Lullier-Winslow.
Desc. — Descourtils. Flore médicale des Antilles.
Desf. — Desfontaines.
Des R. — Des Rousseaux. *Voy.* Encyclopédie.
Enc. — Encyclopédie méthodique, partie botanique, par MM. Lamarck, Des Rousseaux et Poiret.
Forsk. — Forskål. Flora ægyptiaco-arabica.
Forst — Forster. Characteres plant. quas in itinere ad insul. maris Australis, etc...
Geïsel. — Geïseler. Crotonis monographia.
Gœrt. — Gœrtner.
Gouan — Traité de botanique et de matière médicale.
Hall. — Haller. Historia stirpium Helvetiæ, 1768.
Houst. — Reliquiæ houstounianæ.
Humb. Bonpl. Pl. æq. — Humboldt et Bonpland. Plantes équinoxiales.
Jacq. — Jacquin. — Amer. — Selectarum stirpium americanarum historia.
——————— Hort. schœnb. — Hortus schœnbrunnensis.
Journ. bot. — Journal de botanique.
J. — A. L. De Jussieu. Genera plantarum.
Kunth. — Voy. de MM. Humboldt et Bonpland. Nova genera et species plantarum.
La Bill. — La Billardière. — Plantarum Novæ-Hollandiæ Specimen.
Lamck. — Lamarck. *Voy.* Encyclopédie.
——————— Ill. — Illustration des genres.
L. — Linnæus. — Genera. — Species. — Systema. — Mantissa.
——————— Fl. suec. — Flora suecica.
——————— M. m. — Materia medica.
L. f. — Linnæus filius. Supplementum plantarum.
Lob. — Lobelius.
Lois. Desl. — Loiseleur Deslonchamps. Manuel des plantes usuelles indigènes.
Lour. — Loureiro. Flora cochinchinensis, edent. Wildenow.
Marcg. — Marcgravius. *Vid.* Piso.
Mém. Mus. — Mém. du Muséum d'histoire naturelle.
Michx. — Michaux. Flora boreali-americana.
Moris. — Morison. Plantarum historia universalis, 1699.
Murr. — Murray. Apparatus medicaminum.

Neck. — Necker. Elementa botanica.
Orf. — Orfila. Toxicologie générale, 2.e édit.
Ort. Dec. — Ortega. Rariorum aut novarum plantarum decades.
Pis. Marcg. — Pisonis de medicinâ brasiliensi libri IV, et Marcgravii historiæ rerum naturalium brasiliæ libri VIII. Elsev. 1648.
Pers. — Persoon. Synopsis plantarum.
Peyr. — Peyrilhe. Matière médicale.
Plum. — Plumier. Plantæ americanæ, edent. Burmanno.
Poir. — Poiret. *Voy.* Encyclopédie.
Reed. — Hortus malabaricus.
A. Rich. — Richard (Achille). Botanique médicale.
Roxb. — Roxburgh. Plants of the coast of Coromandel.
R. P. Prodr. — Ruiz et Pavon. Floræ peruvianæ et chilensis prodromus.
Rumph. — Rumphii herbarium amboïnense.
Schreb. — Schreber. Genera plantarum.
Scop. — Scopoli. Introductio ad hist. natur.
Sloane. — A natural history of Jamaïca.
Sw. — Swartz. — Fl. — Flora Indiæ occidentalis.
——————— Prodr. — Prodromus descript. veget. Ind. occ.
T. — Tournefort.
Thunb. — Thunberg. Flora japonica.
Vahl. Ecl. — Eclogæ americanæ.
—— Symb. — Symbolæ botanicæ.
Vent. — Ventenat. Jardin de Cels.
Vill. Dauph. — Villars. Flore du Dauphiné.
W. — Willdenow. Species plantarum.

DE

EUPHORBIACEIS.

PARS PRIMA,

SIVE BOTANICA.

Character ordinis.

Flores monœci aut dioeci.

Calix monosepalus, laciniis (sæpiùs 4-5-6) definitis, rariùs 2-aut-polysepalus, interdùm nullus, sæpissimè intùs appendicibus variis squamiformibus aut glandulosis auctus.

Petala (seu appendices petaloïdeæ), nunc in plerisque nulla, nunc calicinis laciniis numero æqualia et alterna, aut rariùs iisdem plura, rarissimè basi inter se coalita.

Floribus masculis, stamina indefinita aut sæpiùs definita, centro floris, nonnunquàm sub pistilli rudimento inserta. Filamenta libera aut coalita. Antheræ biloculares, loculis extùs in longum dehiscentibus, interdùm distinctis.

Floribus fœmineis, ovarium superum, sessile aut rarissimè stipitatum, 2-3-pluri-loculare, loculis circa placentarium centrale in orbem dispositis. Ovula solitaria geminatave, angulo interiori sub apice suspensa. Styli tot quot loculi, nunc distincti, nunc inter se

connati in unum simplicem aut divisum, interdùm nulli. Stigma multiplex aut unicum pluri-lobatum.

Fructus sub integumento communi (*sarcocárpium*. Rich.), tenui, fibrosove, aut carnoso, 2-3-pluri-coccus, coccis (*endocarpium*. Rich.) nunc distinctis, elastice bivalvibus, nunc rarissimè indehiscentibus aut in nucem multi-locularem connatis.

Semina solitaria, aut geminata, placentario seu axi centrali, sæpissimè persistenti, superiùs annexa, arillata. Embryo perispermo carnoso involutus. Cotyledones planæ. Radicula hilum spectans, supera.

Arbores, frutices aut herbæ, quædam lactescentes.

Folia plerumquè stipulacea, alterna aut rarissimè opposita nullave, simplicia aut in paucissimis composita.

Flores axillares aut terminales, variè dispositi, plerumquè bracteati, bracteis quibusdam interdùm majoribus, involucriformibus.

GENERA.

SECTIO I.

Flores monœci aut diœci. Calix 4-5-6-partitus; præfloratio convolutiva (1). Petala 0 (exceptâ Richeriâ et interdùm Saviâ). mascul. Stamina 4-5-6, sub pistilli rudimento sessili inserta. fœmin. Ovarium 2-3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus carnosus aut capsularis, 3-coccus, coccis 1-2-spermis.

Arbores fruticesve, rarissimè herbæ, foliis glabris, lucidis veno-

(1) Præflorationem convolutivam voco, cùm calicis corollæve partes, non omnes juxtà positæ, sed aliæ externæ sunt, aliæ internæ, posteriores prioribus partìm involutæ. Si partes geminæ adsint, altera alteram obtegit; si tres, una obtegit, una obtegitur, tertia ambabus intermedia; si quinque, duæ externæ sunt, duæ internæ, quinta intermedia (præfl. quinconcialis D. C.); si quatuor aut sex, duæ aut tres exteriores cæteras alternas obtegunt (præfl. alternativa D. C.).

sisve (exceptâ Pachysandrâ). Flores plerumquè fasciculati glomerative, fasciculis glomerulisque axillaribus solitariis, aut in axi communi spicatim dispositis, rariùs racemosi aut spicati; fœminei interdùm subsolitarii. Bracteæ plurimæ, parvæ, persistentes.

DRYPETES. Vahl.

Flores diœci. Calix 4-6-partitus, inæqualis. MASC. Stamina 4-6 (8 ex Vahl) exserta, sub disco centrali ad ambitum sinuato inserta. FOEM. Stylus duplex aut lateralis unicus; stigmata totidem capitata, emarginata; ovarium disco glanduloso impositum, 2-loculare, loculis 2-ovulatis, aut abortu 1-loculare, ovulis latere pendulis. Fructus drupæformis, nunc rarissimè subbilobatus, 2-locularis, nunc abortu unilobatus, hinc planus, loculi alterius vestigium exhibens, indè convexus 1-locularis, 1-spermus.

Arbores aut frutices. Folia alterna, stipulacea stipulis brevissimis, integra subserratave, subcoriacea, glabra, lucida, venosa. Flores axillares, fasciculati, fasciculis multi-bracteatis.

OBSERV. Species 3 antillanæ. — Staminum numerus divisuris calicinis non semper æqualis, neque constans respectivus utrorumque situs, alternus aut oppositus. — Charact. ex Poiteau (Mem. Mus. 1. 152. tab. 8-10) et ex sicco.

THECACORIS.

Flores diœci? MASC. Calix 5-6-partitus. Stamina 5 in præfloratione erecta, laciniis calicinis opposita, sub pistilli rudimento obconico inserta; filamentis flexuosis, quorum apici dilatato, utrinque annexi antherarum loculi distincti, ovati. Glandulæ 5 staminibus alternæ. FOEM. Calix 5-partitus. Styli 3 crassiusculi, apice bifidi; ovarium disco glanduloso impositum, glabrum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus....

Caulis lignosus. Folia alterna, 2-stipulacea stipulis minutis, caducis, petiolata, integra, glabra. Flores in racemis basi bracteatis, axillaribus terminalibusve, solitariis aut geminatis, laxi, breviter pedunculati, singuli bracteolati.

OBS. Species unica madagascariensis, quæ in herbariis sub nomine *Acalypha glabrata*. Vahl. mss. — Nomen à loculis antherarum distinctis. — Flores diversi sexûs in diversis speciminibus, an et in arboribus ?

PACHYSANDRA. Michx.

Flores monœci. Calix 4-partitus, laciniis 2 interioribus, 2 exterioribus alternis. MASC. Stamina 4, inserta sub pistilli rudimento parvo; filamentis exsertis, latis, complanatis; antheris summo filamento adnatis, introrsis, post anthesim arcuatis. FŒM. Styli 3 recurvi, crassi, intùs glandulosi et sulcati; stigmata 3; ovarium breve, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus (ex Michx. 2. 177. tab. 45) capsularis, subglobosus, stylis persistentibus tricornis, 3-coccus, coccis 2-spermis.

Herba. Folia alterna, crenata, glabra. Flores in infimo caule spicati, spicâ ad basim squamis imbricatis cinctâ; masculi superiores 1-bracteati, fœminei inferiores, pauciores, 3-bracteati, bracteis sepaliformibus.

OBS. Species unica ex montibus alleghanis.

BUXUS. L.-J. — *Bus.*

Flores monœci. Calix 4-sepalus, sepalis inæqualibus, 2 interioribus, 2 alternis, exterioribus, quibus adpressa bractea similis, unica in masculis, triplex in fœmineis. MASC. Stamina 4 inserta sub pistilli rudimento simplici trilobove, filamentis exsertis, antheris adnatis, introrsis, post anthesim contortis. FŒM. Styli 3 crassi, intùs glanduloso-canaliculati; ovarium glabrum, inter stylos torulosum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus capsularis, globosus, 3-rostris, extùs coriaceus loculicido-trivalvis, valvis è stylorum bipartibilium persistentiâ 2-cornibus; intùs 3-coccus, coccis tenuibus, 2-spermis. Semina lævia, lucida, nigra.

Arbores, frutices suffruticesve. Folia opposita, integra, quibus laminæ duæ, nisi ad ambitum, distinctæ, superior coriacea, venosa, inferior membranacea; petiolata, petiolo brevi decurrente in ramulos

indè 4-gonos, oppositos, stipulis minimis persistentibus (gemmarum reliquiis) infrà cinctos. Flores axillares, glomerati; in quolibet glomerulo bracteis imbricatis ad basim involucrato, masculi plures cingentes fœmineum unicum centralem, aut omnes abortu masculi.

OBS. Species duæ europæanæ, in hortis præsertim frequentes. — Congener videtur TRICERA Schreb., Sw. Fl. (1. 353. tab. 7) seu CRANTZIA Sw. Prod., cui similiter flores monœci; calix 4-5-partitus; stamina 4 sub pistilli rudimento inserta, filamentis latis, exsertis, antheris introrsis arcuatis; styli 3 crassi, persistentes, 2-partibiles; capsula trifariàm dehiscens, intùs 3-cocca, coccis 2-spermis; semina lævia, lucida, nigra. Differt tantùm structurâ foliorum, quibus lamina simplex, et dispositione florum, qui racemosi sunt, fœmineus unicus, terminalis, sessilis, masculi plures, ambientes, longiùs pedunculati, racemo pedunculisque ad basim bracteatis: quæ scilicet inflorescentia fiat Buxi ipsius, in quo glomeruli axis, florumque pediceli subnulli elongentur. *Triceræ* species 3 ex Americâ æquinoctiali.

SECURINEGA. J.

Flores diœci. MASC. Calix 5-partitus. Stamina 5 oppositâ, filamentis exsertis, imâ basi connatis, antheris oblongis, introrsis, cincta glandulis 5 alternis, disco glanduloso sinuato inserta, sub pistilli rudimento 3-partito lineari. FŒM. Calix 4-6-partitus, reflexus. Stigmata 3 subsessilia, reflexa, subbiloba; ovarium disco glanduloso impositum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus, coccis 2-valvibus, seminibus lævibus, nigris (ut in Buxo).

Arbores ligno durissimo. Folia alterna, integerrima, coriacea, glabra, nitida, venosa. Flores axillares; masculi glomerati, multibracteati, bracteis ciliatis, conglobatis; fœminei longe pedunculati, pedunculis fasciculatis, ad basim bracteatis.

OBS. Species præter *Securinegam nitidam* W., borbonicam, undè genus illud institutum, altera mauritiana (in herb. J.) quæ tamen forsàn præcedentis tantùm varietas. Sed diversa certè *S. nitida* Lindley (Collect. tab. 9), otahitensis, cujus flores, ex auctore, monœci, axillares, subsolitarii; instructi calice ampliori; filamentis in disco magno insertis; antheris parvis, subrotundis, transversè dehiscentibus; pistilli rudimento simplici, minuto; ovario superiùs in stylum crassum attenuato.

SAVIA. W.

Flores diœci. Calix 5-partitus. Petala 3-5. interdùm nulla, breviora, circa discum glandulosum inserta. MASC. Stamina 5, filamentis brevibus, antheris, adnatis, introrsis, disco inserta sub pistilli rudimento simplici tripartitove. FOEM. Styli 3 reflexi, apice bifidi; stigmata 6; ovarium disco impositum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus, coccis 2-valvibus, 1-spermis.

Frutex. Folia alterna, 2-stipulacea, stipulis minutis, caducis, integra, glabra, venosa. Flores masculi, glomerulati, glomerulis pluri-bracteatis, subspicatis; fœminei axillares, solitarii, bracteati, subsessiles.

OBS. Species unica ex Hispaniolâ, quæ *Croton sessiliflorum* Sw. Fl. — Placentarium 3-alatum. — Ovula è summo loculo pendula, mediante massâ carnosâ multò majori, quæ ea obtegit loculumque implet, indè primo aspectu monospermum; posteà, fructu ad maturitatem vergente, decrescit sensim, ferè nulla in maturo; in quo semen álterum abortivum. Similis massa, sed minor, occurrit in aliis generibus, ut *Amanoa*, *Securinega*, *Leptonema*. Cujus quænam natura? Non-ne arilli amborum seminum in unum corpus coaliti?

AMANOA. Aubl. - J.

Flores monœci diœcive. Calix 5-partitus. MASC. Stamina 5, filamentis brevibus, antheris summo filamento dilatato adnatis, introrsis; disco glanduloso 5-lobo imposita aut 5 glandulis interposita, sub pistilli rudimento 3-lobo 3-fidove. FOEM. Stigmata 3 sessilia, crassa, sub-biloba; ovarium disco glanduloso impositum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus (ex Richard mss.) capsula drupæformis, obtusè 3-gona, intùs 3-cocca, coccis 2-valvibus, 1-spermis.

Arbores aut frutices. Folia alterna, 2-stipulacea, integra, glabra, lucida, nervosa. Flores glomerulati, glomerulis in spicas axillares, terminalesve dispositis, bracteâ squamosâ aut interdùm foliaceâ stipatis; in quolibet glomerulo omnes masculi aut fœmineus unicus pluribus masculis mixtus, bracteis multis, inæqualibus interjectis.

OBS. Species, præter *Amanoam guianensem* Aubl. (tab. 101), duæ ineditæ (in Herb. Rich.) ipsæ guianenses.

RICHERIA. Vahl.

Flores diœci. Calix 4-5-partitus. Petala 4-5. MASC. Stamina 4-5, totidem glandulis alterna, filamentis exsertis, antheris oblongis, erectis, inserta sub pistilli rudimento conico, simplici. FŒM. Stylus brevissimus; stigmata 3-revoluta, suprà canaliculata; ovarium disco carnoso impositum. Fructus suberosus, 6-sulcus, intùs subcartilagineus, 3-locularis, loculis à basi 2-valvibus, 1-spermis.

Arbor ingens (habitu Mammeæ). Folia alterna, integra, subcoriacea, glabra, subtùs venosa. Flores in spicis axillarîbus bracteati.

OBS. Species unica antillana. — Genus certè euphorbiaceum, confirmante situ et structurâ seminis, quod pendulum ex axi centrali reliquiis dissepimentorum quasi 3-alato, perispermoque instructum albicante, in quo embryo planus, flavicans, radiculâ superâ. An loculi in ovario 2-ovulati, iidem in fructu abortu 1-spermi? — Charact. ex Vahl Ecl. (1. 30. tab. 4). — Ex Ryanio autem, à quo genus hoc primo detectum Vahlioque communicatum, flores quidam hermaphroditi, capsulæ 1-spermæ calice tectæ subbaccato, semen pulpâ molli involutum, corolla monopetala, calix 3-sepalus. Valdè discordant igitur inter se amborum auctorum descriptiones, seu naturâ varient mirum in modum flores, seu alteruter in observatione defecerit.

FLUGGEA. W.

Flores diœci. Calix profundè 5-partitus. MASC. Stamina 5, filamentis exsertis, antheris extrorsis, inserta sub rudimento pistilli bis bifido. His glandulæ 5 interpositæ. FŒM. Stylus subnullus; stigmata 2-3 reflexa, 2-fida 2-partitave; ovarium disco membranaceo insidens, 2-3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus capsularis aut subbaccatus. Semina 2 in quolibet loculo, quorum unum quandoquè effetum.

Frutices ramosi, ramis alternis, in spinam desinentibus. Folia alterna, glabra, parva. Flores axillares, fasciculati, fasciculis multibracteatis.

OBS. Species, præter *Fluggeam leucopyrum* W., quæ *Phyllanthus leucopyra* Kœn., 2 aut 3 (in Herb. J. et Mus.) ineditæ, omnes coromandelianæ. — In semine *Fluggeæ leucopyri* perispermum paulisper incurvatum, depressaque extùs chalaza. Eadem in *F. xerocarpâ* (Herb. J.) perforata, ibique semen

parvâ cavitate intùs instructum, undè major perispermi et embryonis incurvatio.

SECTIO II.

Flores monœci aut diœci. Calix 4-5-6-partitus ; præfloratio convolutiva (exceptâ Briedeliâ). Petala 0, rariùs 5 ; præfloratio convolutiva. masc. Stamina 2-5, rariùs plura, centro calicis inserta, filamentis nunc liberis, nunc omninò aut partim coalitis, interdùm in stipitem pistilli abortivi. fœm. Ovarium 2-10-loculare, loculis (sæpiùs 3) 2-ovulatis (exceptâ Cluytiâ). Fructus rariùs carnosus aut baccatus, sæpissimè capsularis, 2-10-coccus, coccis 1-2-spermis.

Arbores, sæpiùs frutices, rarissimè herbæ Folia nunc alterna et tunc sæpiùs pinnatim disposita, nunc rarissimè opposita. Flores fasciculati, aut glomerati, aut subsolitarii, axillares. Bracteæ plurimæ, parvæ, persistentes.

EPISTYLIUM. Sw. Fl. — Omphaleæ spec. Sw. Prodr.

Flores monœci. masc. Calix 4-partitus, laciniis 2 interioribus, majoribus, 2 exterioribus, alternis. Glandulæ 4 alternæ. Filamentum unicum, apice incrassatum ; antheræ 2 divaricatæ, loculis summo filamento utrinque adnatis. fœm. Calix 5-partitus. Glandulæ 5 minimæ alternæ. Stylus brevis aut nullus ; stigmata 3 subbiloba ; ovarium carnosum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus (ex Sw. Fl. 1095. tab. 22) capsularis, oblongus, obtusè 3-gonus, 3-valvis, 3-locularis, loculis 1-2-spermis.

Arbores fruticesve. Folia alterna, 2-stipulacea, integerrima, glabra, nitida, venosa. Flores fasciculati, fœminei masculis pluribus mixti, fasciculis supra axem communem axillarem racemosim dispositis.

obs. Species duæ jamaïcenses montanæ.

GYNOON.

Flores monœci. masc. Calix 5-partitus. Filamenta 3 infrà coalita,

superiùs distincta. Antheræ 3 extrorsæ, filamentis sub apice adnatæ. FŒM. Calix 6-partitus. Stigmata 3 hinc convexa, indè angulata, connata in massam unicam, ovoïdeam, duplò ovario majorem, 3-partibilem. Ovarium globosum, 6-sulcum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus....

Caulis lignosus. Folia alterna, 2-stipulacea, integra, coriacea, glabra. Flores fasciculati, fasciculis axillaribus, multi-bracteatis; fœminei masculis pluribus mixti.

OBS. Species unica zeïlanensis. — Nomen à stigmatum connatorum formâ.

GLOCHIDION. Forst. — BRADLEÏA. Gœrt.

Flores monœci aut? diœci. Calix 6-partitus. MASC. Stamina 3-6; filamentis infrà coalitis; antheris extrorsis, filamento sub apice adnatis, indè cuspidatis. FŒM. Stylus crassus aut nullus. Stigmata 6 brevia, obtusa, erecta conniventiave; ovarium carnosum, 6-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus capsularis, globoso-depressus, umbilicatus, extùs 12-sulcus, corticatus, loculicido-6-valvis; intùs 6-coccus, coccis chartaceis, 2-spermis. Semina fenestrata.

Arbusculæ aut frutices. Folia alterna, integra, subcoriacea, supernè glabra, subtùs venosa. Flores axillares, pedunculati, solitarii fasciculative, in fasciculis masculi fœmineis mixti aut omnes ejusdem sexûs.

OBS. Species 4 descriptæ ab auctoribus (Gœrt. 2. 127. tab. 109. — Lamck. Ill. t. 772. — Cav. ic. 371. — W. Spec.); quædam prætereà in diversis herbariis ineditæ. Una ex insulis Societatis et novis Hebridis, una sinensis; cæteræ zeïlanenses, javanenses, philippenses. Sed propter statum imperfectum, hinc descriptionum, indè speciminum, valdè dubium adhùc, an species quæ innominatæ eædem novæ sint neque cognitarum conspecificæ. Omnes igitur sedulò in libris et herbariis conferendæ atque recognoscendæ. — Genus hoc Phyllantho affine, diversum tamen stigmatibus subsessilibus, simplicibus; capsulis 6-coccis; seminibus (ut Gœrtnerus primus optimè indicavit) sæpè in singulo loculo superpositis, duplicique cavitate instructis, alterâ inani, sub pelliculâ tenui 1-3-fenestratâ, alterâ embryoniferâ, curvatâ, angustiori: hinc maxima perispermi, interdùm vix ullius, tenuitas atque cotyledonum incurvatio.

ANISONEMA. — Phyllanthi spec. Poir.

Flores monœci. masc. Calix 5-partitus. Glandulæ 5 alternæ. Stamina 5, filamentis crassis, quorum 2-3 media, longiora, planè inter se coalita, 3-2 lateralia, sublibera ; antherarum loculi utrinque filamentorum apici adnati. fœm. Calix 4-6-partitus. Glandulæ totidem alternæ. Stigmata 6-10 brevia, sessilia ; ovarium 6-10-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus capsularis, globoso-depressus, umbilicatus, 6-10-sulcus. Semina in quolibet loculo gemina, superposita, angulata, nonnulla sæpè abortiva.

Frutices ramosi. Folia in ramulis fasciculatis subpinnatìm disposita, alterna, stipulacea, integra, fusca. Flores axillares, bracteati, pedunculati, masculi fasciculati, fœminei subsolitarii, occasu foliorum quasi racemosi.

obs. Species 2 indicæ, altera quæ *Phyllanthus reticulatus* Poir., altera inedita (in Herb. Mus.). — Nomen à filamentis inter se inæqualibus.

LEPTONEMA. — Acalyphæ spec. Poir.

Flores diœci. Calix 5-partitus. masc. Stamina 5, rariùs 6 ; filamenta libera, capillacea, exserta ; antheræ crassiores, loculis distinctis, in præfloratione pendulis, posteà erectis. fœm. Styli 3-5, profundè 2-partiti ; ovarium 3-5-loculare, loculis 2-spermis. Fructus capsularis, globoso-depressus, intùs 3-5-coccus (sæpiùs 5), coccis 2-valvibus, 2-spermis.

Frutex ramosus. Folia alterna, stipulacea, longè petiolata, subintegra, villosa. Pedunculi solitarii, axillares ; in fœmineis longiores, uniflori ; in masculis multiflori, floribus subumbellatis, multibracteatis. Bracteæ lineares, longiusculæ.

obs. Species unica madagascariensis quæ *Acalypha venosa* Poir. — Nomen generis à tenuitate filamentorum filo araneæ comparandâ. — Placentarium dissepimentis quasi 3-5 alatum, superiùs expanditur in totidem massulas, singulas in singulis loculis pendentes, sub quibus excurrunt 2 funiculi, quibus semina inseruntur.

CICCA. L.-J. — *Cheramelier.*

Flores monœci, diœcive. Calix 4-partitus, intùs glandulis 4 alternis discove glanduloso instructus. MASC. Stamina 4, filamentis liberis, antheris adnatis, extrorsis. FŒM. Styli 4-5 reflexi, bifidi; ovarium carnosum, 4-5-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus bacciformis, intùs 4-5-coccus, coccis 1-2-spermis.

Arbores aut frutices. Folia alterna, in ramulis alternis, deciduis subpinnatìm disposita, stipulacea, integra, glabra. Flores axillares, fasciculati, fasciculis multibracteatis, foliorum casu vel abortu racemos mentientibus. Habitus Phyllantorum.

OBS. Species 4, una indica radice lactescente (quæ *Cheramela* Rumph. 7. tab. 33), una javanensis, una cochinchinensis, quarte antillana (Herb. J. et Rich.) — In *Ciccâ distichâ* seu *Phyllantho longifolio*, flores interdùm exstant hermaphroditi, ex Jacq. (Hort. Schœnb. tab. 194).

Non-ne affine TRICARIUM Lour. (681), arbuscula cochinchinensis, foliis alternis, integris, glabris, cui, ex auctore: flores monœci, racemosi; calix 4-phyllus, glandulis 4 instructus, stamina 4, stigma laciniatum, fructus drupaceus, intùs 3-coccus, 3-spermus; discrepans tantùm numero coccorum. — Quæ tamen, ex Wildenow, affinior Argythamniæ.

EMBLICA. Gœrt. — PHYLLANTHI spec. L.

Flores monœci. Calix 6-partitus. MASC. Filamenta coalita in unum superiùs 3-antheriferum, antheris extrorsis, filamento sub apice adnatis, indè cuspidatis. Glandulæ 6 aut nullæ. FŒM. Styli 3 dichotomi, oblongi, reflexi; ovarium tubo membranaceo, 5-fido, inæquali cinctum, aut disco carnoso impositum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus (ex Gœrt. 2. 122. tab. 108.) drupæformis, intùs 3-coccus, coccis 2-valvibus, 2-spermis.

Arbores aut arbusculæ. Folia alterna, stipulacea, parva, in ramulis alternis pinnatìm disposita, decidua. Flores axillares, fasciculati, fasciculis post occasum foliorum densè quasi spicatis; omnes masculi aut masculis fœminei mixti; bracteati, bracteis persistentibus.

OBS. Species 2 indicæ, quarum altera *Myrobalanus emblica* C. B. — An verè congeneres *Emblica grandis* Gœrt. et *E. palasis* Hamilton (Linn. soc. 13. 507),

quarum fructus tantùm noti, integumento quidem carnoso, sed coccis in posteriore (cæterùm habitu dissimili) sæpè quatuor, in utràque monospermis?

KIRGANELIA. J. — Ardinghelia. Commers. mss. et icon. — Phyllanthi spec. W.

Flores monœci. masc. Stamina 5, quorum 2 breviora; filamentis in columnam coalitis; antheris 3 terminalibus, 2 lateralibus. fœm. Fructus baccatus, absque coccis, 3-locularis, loculis 2-spermis. Cætera ut in Phyllantho.

Frutex. Folia pinnatìm disposita, flores fasciculati et habitus Phyllanthorum.

obs. Species unica mauritiana et indica, quæ *Phyllanthus kirganelia* W., eadem ac *P. fasciculata* Poir. Huc prætereà revocandæ species 2 aut 3 in herbariis inter Phyllanthos collocatæ, floribus masculis monadelphis, pentandris, et fructu baccato. — Embryo cotyledonibus planis, ovatis, incurvatis, ochroleucus intra perispermum colore ferrugineo.

PHYLLANTHUS. L. - J. — Niruri. Adans. — Conami. Aubl.

Flores monœci aut rariùs dicœci. Calix profundè 5-6-partitus. masc. Stamina 3, rariùs plura; filamenta infrà coalita in columnam glandulis 5-6 cum calice alternantibus basi cinctam, aut disco glanduloso 5-6 lobo impositam. fœm. Styli 3 basi interdùm connati, plerumquè bifidi; stigmata 6; ovarium glandulis 5-6 cinctum, aut disco glanduloso membranaceove impositum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus, coccis 2-valvibus, 2-spermis.

Arbores aut fructices, rariùs herbæ. Folia alterna, stipulacea, nunc magna, venosa, nunc sæpiùs minora, in ramulis alternis pinnatìm disposita. Flores axillares subsolitarii, aut sæpiùs fasciculati, post occasum foliorum quasi racemosi; multibracteati, bracteis acutis, persistentibus, interdùm conglobatis; in fasciculis nunc omnes ejusdem sexûs, nunc fœminei 1-4 masculis pluribus intermixti.

obs. Species hujus generis circiter 70 ab auctoribus descriptæ, quarum 30 americanæ, pleræque è plagis æquinoctialibus; totidem asiatiæ, 4 scilicet sinen-

ses, 2 arabicæ, cæteræ ex Indiâ, Javâ, Ceylone; 10 africanæ, 2 scilicet capenses, aliæ madagascarienses, borbonienses, mauritianæ, quarum quædam indicarum conspecificæ. Nonnullæ prætereà in diversis herbariis novæ, è variis regionibus, atque imprimis è Novâ-Hollandiâ, et insulis Oceani australis, undè paucissimæ in lucem hucusquè editæ.

Congeneres Cathetus Lour., frutex cochinchinensis, dioïcus, discrepans tantùm foliis fasciculatis; et Nymphantus ejusdem, in quo filamentum unicum antheram gerens, ex auctore, 4-6- locularem, habendum pro filamentis coalitis in unum apice 2-3-antheriferum. In hoc genere quatuor arbores aut frutices cochinchinenses *Phyllanto niruri* consociantur.

Breynia Forst. (tab. 73), frutex tannensis, foliis pinnatìm dispositis, cui, ex descriptione et tabulâ auctoris : flores polygami; calix 4-5-partitus; in hermaphroditis, antheræ 5 stylo adnatæ, stigma 1, bacca 3-locularis, 6-sperma; in masculis, glandulæ 5 et stamina 5 libera; in fœmineis stigmata 5, capsula 5-locularis, 5-sperma, disco annulari cincta : his omnibus characteribus recedit à Phyllanto. At in specimine (Herb. Mus.) manu Forsteri inscripto, flores masculi quidem cum descriptione concordant, fœminei autem nihil aliud sunt nisi ramus *Phyllanti cernuæ* speciei in insulâ Timor quoque crescentis. Genus igitur aut delendum aut recognoscendum.

Phyllanthus *cernua*, *P. rhamnoïdes*, et quædam aliæ vicinæ indicæ aut timorenses, foliis in herbario nigrescentibus, quibusdam characteribus à Phyllantho discrepant. His enim flores monœci, axillares, fasciculati, bracteati bracteis sæpè imbricatis. *Masc.* Calix campanulatus apice 6-lobus, lobis introflexis, brevibus; stamina 3 inclusa, filamentis brevibus coalitis, antheris 3 extrorsis, filamento sub apice adnatis, indè cuspidatis. *Fœm.* Calix orbiculatus, 6-fidus, laciniis 3 interioribus, persistens. Stigmata 3 biloba bifidave, sessilia aut stylo brevi insidentia; ovarium calice brevius, carnosum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Capsula 3-locularis, 6-sperma. Semina placentario brevi, crasso affixa, pelliculâ tenui vestita, intùs cavitate instructa duplici, alterâ inani, lineari-3-fenestratâ, alterâ embryoniferâ, curvatâ, majori; perispermum cum embryone incurvatum. An indè novum genus instituendum, medium Phyllantum inter et Glochidion?

Non-ne potiùs, nedùm nova genera à Phyllantho detrahantur, ipsi quædam alia consocianda, ut *Xylophylla*, *Emblica*, *Kirganelia*, *Cicca*, *Menarda*, *Agyneïa*, pleraque à quibusdam auctoribus ei jam adjuncta? Embryo spiralis, quo Gœrtnerus (2. 123-25. tab. 108) Phyllantum à Xylophyllâ dis-

cernit, neque pro charactere generico adhiberi posse, neque prætereà in omnibus Phyllanthis existere videtur.

XYLOPHYLLA. L.-J.-Gœrt. — Genesiphylla. Lher. — Phyllanthi spec. Sw.-Kunth. — Pharnacei spec. Pall.

Flores monœci. masc. Stamina 2-3, filamentis infrà aut omninò coalitis. fœm. Styli 3 reflexi; stigmata 3 lacera. Cætera ut in Phyllantho.

Frutices aphylli, extremis ramulis 2-stipulaceis, complanatis, dilatatis, crenatis, folia mentientibus. Flores in crenulis ramulorum fasciculati, omnes ejusdem sexûs aut fœminei masculis mixti, multibracteati, bracteis persistentibus.

obs. Species 10, quarum una indica, una siberica, cæteræ ex Americâ æquinoctiali. — Flores hermaphroditi, pentandri, ex Linnæo, fortè glandulas pro antheris habente. Quibus characteribus rejectis, genus hoc vix à Phyllantho diversum, nisi tamen peculiari quodam habitu, propter ramulos dilatatos, à plerisque pro foliis veris descriptos. Sed diversam foliorum istorum naturam demonstrant analogia et structura, tùm in ipsis separatim inspecta, tùm comparata cum ramis junioribus, tùm denique notata in quibusdam speciminibus ubi ex eorum crenulis non flores oriuntur, sed folia similia, ipsa interdùm foliifera.

MENARDA. Commers.

Flores monœci. Calix magnus persistens, 5-partitus. masc. Stamina 5, filamentis liberis, antheris adnatis, extrorsis. Glandulæ 5 calici alternæ. fœm. Styli 3 crassi, bipartiti; ovarium disco glanduloso latiori impositum. Cætera ut in Phyllantho.

Arbuscula, ramis oppositis alternisve. Folia alterna, aut sæpiùs opposita, stipulacea, integra, glabra. Flores axillares, solitarii, aut pauci fasciculati, fœminei masculis mixti, longissimè et tenuissimè pedunculati, bracteati.

obs. Species unica madagascariensis (Herb. J. et Mus.). — Congener videtur *Phyllanthus multiflora* Poir., quæ ex eâdem regione.

MICRANTHEA. Desf.

Flores monœci. MASC. Calix coloratus, 6-sepalus, sepalis 3 alternis, interioribus, majoribus, petaloïdeis. Stamina 3 libera, circa discum glandulosum trilobum inserta. FŒM. Calix 6-partitus, laciniis subulatis. Styli 3 simplices, breves; stigmata 3; ovarium 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus capsularis, stylis persistentibus acuminatus, 3-coccus, coccis bivalvibus, 2-spermis. Semina teretia; embryo, intra perispermum conforme, gracilis.

Suffrutex. Folia ternatim fasciculata, alterna, linearia. Flores breviter pedunculati, 1-3 axillares.

OBS. Species unica ex Novâ-Hollandiâ, quæ *Micranthea ericoïdes* Desf. (Mem. Mus. 4. 253. tab. 14), undè character hic desumptus.

AGYNEÏA. L.-J.-Vent.

Flores monœci. Calix 6-partitus. MASC. Stamina 3, filamentis coalitis in columnam centralem, apice 3-lobam, lobis extùs antheriferis, antherâ adnatâ, infrà impositam disco 6-lobo membranæformi, calicem intùs partìm vestienti. FŒM. Ovarium apice foveolatum, in foveâ 3-stylum, stylis bifidis, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus capsularis, ab apice ad basim 6-valvis, 3-locularis, loculis 2-spermis. Semina (ex Richard) arillata, arillo fissili in tres partes, unam dorsalem caducam, duas laterales persistentes appositasque placentario indè quasi 12-alato.

Frutices aut herbæ. Folia alterna suboppositave, stipulacea, parva. Flores fasciculati, axillares, fasciculis paucifloris, bracteatis, in quibus fœminei 1-2 longiùs pedunculati, cæteri masculi.

OBS. Species 4, duæ sinenses, duæ indicæ, quarum una *Phyllanthus bacciformis* L. — *Agyneïa obliqua* et *A. multiloculatis* W. quibus ex descriptione (in Spec. 1722, et Act. societ. natur. curios. Berol. 4. 206) antheræ 5 filamentis in unum coalitis adnatæ, stigmata 5 simplicia, capsula 5-locularis, folia magna glaucescentia; hinc dimovendæ et forsàn Glochidio affiniores.

ANDRACHNE. L.-J.

Flores monœci. Calix 5-partitus. MASC. Petala 5 membranacea,

interjectis squamulis 5 bipartitis aut nullis. Stamina 5, antheris introrsis, filamentis infrà connatis in stipitem pistilli abortivi. FŒM. Petala o. Styli 3 breves, divaricati, bifidi; stigmata 6; ovarium basi nudum aut squamulis 5 bifidis, calici alternis, cinctum, 3-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus, coccis 2-valvibus, 2-spermis. Semina punctata.

Frutices aut herbæ. Folia alterna, stipulacea. Flores axillares, solitarii aut fasciculati, bracteati.

OBS. Species 4; duæ editæ, altera italica et orientalis (quæ *Telephioïdes* T. et Moench., *Limeum* et *Eraclissa* Forsk.), altera indica, cujus exstat varietas (*Clutiæ* spec. L., *Arachne* Neck.) calice in masculis orbiculato, 5-dentato; duæ aliæ novæ timorenses (in Herb. Mus.).

CLUYTIA. Ait.-W. — CLUTIA. Boer.-L.-J. — ALTORA. Adans. — CRATOCHWILIA. Neck.

Flores diœci. Calix 5-partitus. Petala 5 laciniis calicinis alterna; iisdem oppositæ appendices 5, 2-3-fidæ, glandulosæ. MASC. Stamina 5; antheris in præfloratione introrsis, posteà versatilibus; filamentis infrà connatis in pistilli abortivi stipitem, basi cinctum glandulis 5 simplicibus aut bifidis. FŒM. Styli 3 reflexi, bifidi; ovarium interdùm pedicellatum (ex Gœrt. 2. 117. tab. 107), 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, globosus, intùs 3-coccus.

Arbusculæ aut frutices. Folia alterna, stipulacea, sæpè angusta rigidaque. Flores axillares, bracteati, breviter pedunculati, solitarii fasciculative.

OBS. Species circiter 20, quarum una arabica, 14 capenses. Quinque autem alias, quarum 4 indicæ, una cochinchinensis, quamvis capsulâ 3-loculari donatas, crediderim potiùs congeneres Briedeliæ. His enim (ex Lour. 784 et Roxb. tab. 169-170) flores interdùm monœci; calix 5-fidus acutus, cui petala 5 parva inserta, non appendicibus glandulosis instructus, sed disco simplici in masculis, tubo in fœminis; loculi ovarii quandoquè 2-ovulati; folia majora; habitus denique totus similior.

BRIEDELIA. W. — Cluytiæ spec. Roxb.

Flores monœci. Calix 5-fidus ; præfloratio valvata. Petala 5 minuta, calici inserta, alterna ; præfloratio convolutiva. masc. Stamina 5, antheris introrsis, filamentis connatis in pistilli abortivi stipitem, impositum disco basi calicis adnato, ad ambitum sinuato. fœm. Styli 2 bifidi ; ovarium tubo (nectarium Roxb.) apice 5-fido involutum, 2-loculare, loculis 2-ovulatis. Fructus bacciformis, 2-locularis, loculis 1-2-spermis.

Arbores aut arbusculæ interdùm scandentes. Folia alterna, stipulacea, integra. Flores glomerati, glomerulis bracteatis, axillaribus aut in ramulis (non-ne occasu foliorum ?) quasi spicatis ; nunc omnes ejusdem sexûs, nunc fœminei masculis mixti. Ex Wildenow, quidam hermaphroditi.

obs. Species 4 indicæ, Cluytiæ primò adnumeratæ, *C. retusa* scilicet, et tres aliæ ex Roxb. (tab. 171-73). Duæ prætereà ineditæ è Congo (Rob. Brown. Obs. herb. Cong. 25).

SECTIO III.

Flores monœci aut dicci. Calix 2-5 aut rariùs plurifidus partitusve ; præfloratio valvata aut convolutiva. Petala 0 aut 5-10, rariùs in corollam monopetalam coalita ; præfloratio convolutiva aut rariùs contorta. masc. Stamina definita aut indefinita, filamentis nunc liberis, receptaculo plano aut convexo insertis, nunc inter se variè coalitis. fœm. Ovarium 2-5-loculare, loculis 1-ovulatis (exceptâ Hyænanche). Fructus carnosus aut sæpiùs capsularis, 2-5-coccus.

Arbores aut frutices, rariùs herbæ. Folia alterna, nunc simplicia, nunc pluripartita, nunc rarissimè 3-5-phylla. Flores fasciculati, racemosi, paniculative aut sæpiùs spicati.

ARGYTHAMNIA. P. Br. - J. - Sw. Fl.

Flores monœci. masc. Calix 4-partitus, villosus ; præfloratio valvata. Petala 4 alterna, villosa, colorata, subunguiculata. His opposita sta-

mina 4, antheris introrsis, filamentis exsertis, imâ basi coalitis sub pistilli rudimento centrali, minuto. Glandulæ 4 alternæ. FŒM. Calix 5-partitus, villosus, persistens, cujus laciniis oppositæ 5 squamulæ. Corolla o. Styli 3 bis bifidi, breves; stigmata lacera; ovarium villosum, trisulcum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus, coccis bivalvibus; semina punctata.

Frutex. Folia alterna, nervosa, colore puniceo imbuta, sicut et flores, qui in racemulis axillaribus, brevissimè pedunculati, singuli bracteati; masculi plures, superiores, minuti; fœminei subsolitarii, inferiores, majores.

OBS. Species unica antillana. — Congener, ex Adanson, *Ateramnus* P. Br., jamaïcensis.

DITAXIS. Vahl.

Flores monœci. Calix 5-partitus; præfloratio valvata. Petala 5 alterna; præfloratio convolutiva. MASC. Stamina 10, antheris introrsis, filamentis infrà connatis in stipitem pistilli abortivi, verticillata quinque superiora, quinque inferiora. FŒM. Glandulæ 5, calicinis laciniis oppositæ. Stylus 3-fidus, laciniis 2-fidis; stigmata 6 lobato-crenulata; ovarium villosum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, calice persistente cinctus, 3-coccus, coccis bivalvibus; semina lævia.

Caulis lignosus, cinerascens. Folia alterna, solitaria fasciculatave, præsertim cùm juniora, integra aut serrulata, colore puniceo imbuta, sicut et flores. Pedunculi axillares, bracteati, pauciflori, flore fœmineo unico, terminali, majori, masculis 2, rarò pluribus, infrà sitis, oblongis, citò deciduis, bracteatis, bracteis persistentibus. Totus habitus Argythamniæ.

OBS. Species 3, duæ antillanæ (in Herb. J., Desf. et Mus.), tertia maranonensis (in Herb. Kunth.).

CROZOPHORA. Neck. — TOURNESOLIA. Scop. — CROTONIS spec. auctorum.

Flores monœci. MASC. Calix 5-partitus; præfloratio valvata. Petala 5

extùs furfuracea ; præfloratio convolutiva. Stamina 5 aut sæpiùs 8-10, quorum 3-5 superiora ; filamentis in præfloratione erectis, infrà connatis in columnam receptaculo glanduloso impositam ; antheris extrorsùm sub apice filamentorum adnatis, indè cuspidatis. FŒM. Calix 10-partitus, laciniis linearibus. Petala 0. Styli 3 bifidi ; stigmata 6 ; ovarium plerumquè squamulis furfuraceis argenteum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus.

Frutices aut sæpiùs herbæ. Folia alterna, stipulacea stipulis deciduis, sinuata, sæpè plicata molliaque. Flores in apice aut divisuris ramorum racemosi, bracteati bracteis longiusculis, linearibus ; fœminei in racemis inferiores, longiùs pedunculati, masculi densi superiores. Plantæ diversæ partes extùs pilis stellatis tomentosæ aut rariùs farinaceæ, intùs in plerisque colore puniceo imbutæ.

OBS. Species circiter 8, duæ senegalenses, cæteræ ex Arabiâ aut Africâ boreali, quarum duæ et in Europâ australi crescunt : inter quas scilicet, *Croton tinctorium* L., *C. obliquum* Vahl., *C. plicatum* Vahl., *C. verbascifolium* W., *C. oblongifolium* Delile, *C. senegalense* Lamck. Quibus, ex descriptione, forsàn congeneres *C. mollissimus* Geis. et *C. Rottleri* Geis., alter sinensis, alter indicus.

CROTON. L.-J.-Kunth. — CROTONIS spec. auctorum. — RICINOÏDES. T. — CROTON, AROTON, LUNTIA, CINOGASUM. Neck. — TRIDESMIS. Lour. — CASCARILLA. Adans.

Flores monœci, rarissimè diœci. MASC. Calix 5-partitus ; præfloratio valvata. Petala 5 ; præfloratio convolutiva. Glandulæ 5 petalis alternæ. Stamina definita (10-20) aut rariùs indefinita ; filamenta libera, in præfloratione inflexa, posteà erecta, exserta, receptaculo nudo aut villoso imposita ; antheræ apici filamentorum adnatæ, introrsæ. FŒM. Calix 5-partitus, persistens. Petala 0. Styli 3 nunc bifidi, nunc (*Luntia*. Neck. — *Tridesmis*. Lour.) pluripartiti ; stigmata 6 aut plura ; ovarium, basi glandulis aut appendiculis 5 cinctum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus. coccis 2-valvibus.

Arbores, frutices, suffrutices aut herbæ. Folia alterna, stipulacea, basi sæpè 2-glandulosa, integra, serrata aut lobata, nunc squamulis argenteis auratisve, nunc pilis stellatis, præsertìm subtùs, punctata aut obsita, ramulis, pedunculis, calicibus, capsulisque plerumquè similiter squamulosis aut pilosis. Flores laxè aut densè dispositi in spicis racemisve, axillaribus aut sæpiùs terminalibus, nunc brevibus capitulaque æmulantibus, nunc longis aut etiam longissimis; in quibus singuli bracteati, nunc omnes ejusdem sexûs, nunc masculi fœmineis intermixti, nunc sæpissimè masculi superiores, inferiores fœminei.

obs. Sub nomine Crotonum species ferè 200 ab auctoribus descriptæ. Sed è genere nunc severiùs circumscripto circiter 50 ad alia depellendæ, totidem imperfectè adhùc cognitæ, 100 certè hujus generis; multæ prætereà in herbariis novæ et ineditæ. Veri Crotones ferè omnes americani, cùm ex centum suprà dictis decima pars tantùm ex Asiâ et Africâ oriatur, id est, sex indici, zeïlonenses, cochinchinenses, sex madagascarienses, mauritiani, borbonienses, capenses adnumerentur, cùmque inter novas species vix una mihi non americana occurrerit. Inter Crotones minùs cognitos, è quibus plerique quoque americani, major tamen respectivus numerus specierum asiaticarum et africanarum. Sed ipsæ à Crotonibus plerumquè discrepant quibusdam signis, ut foliis utrinque glabris, pilisque simplicibus : quæ discrepantia non levis est, cùm folia sola sæpissimè in his describantur, non visis floribus, et pili stellati characterem magni momenti in hoc genere suppeditent.

Inter species è Crotonibus depellendas, multæ in hâc dissertatione diversis generibus (*Savia*, *Crozophora*, *Rottlera*, *Codiæum*) consociantur. Aliæ supersunt indicandæ, quarum quædam exstant undè nova genera aut instituta fuerint neque recepta, aut sint forsàn in posterum instituenda.

Croton *denticulatum* Geis., herba syriaca, nihil aliud est nisi species Euphorbiæ.

Croton *eriospermum* Lamck., brasiliense, cujus folia opposita, flores ignoti, racemosi, fructus 3-locularis, loculis polyspermis, semina lanâ rufescente involuta, perispermo nullo tenuissimove, recedit ab Euphorbiaceis, affinius forsàn Trigoniæ.

Croton *microphyllum* Lamck., herba peruviana, in quâ flores monœci, calix 5-partitus, petala 0, stamina 5 basi 5-glandulosa, styli 3 bifidi, capsula

3-locularis, loculis 2-spermis ; characteribus habituque affinior Phyllanthis.

Croton *monanthogynum* Michx., herba carolinensis, habitu quidem Crotonibus simillima, sed floribus masculis calix 4-fidus, petala 4, glandulæ totidem alternæ; stamina 4 antheris introrsis, filamentis liberis insertis sub rudimento pistilli centrali, bipartito; fœminis, ovarium 2-loculare, 2-spermum, styli 2 bipartiti.

Croton *ricinocarpos* L. qui *Ricinocarpos* Boer. seu *Brunsvia* Neck., ex his auctoribus, instructus calice duplici, utroque 3-partito, in masculis 8-andro.

Crotonis *viscosi* La Bill. (2. 72. tab. 222) folia integra, viscosa; flores monœci pedunculis axillaribus 1-2-floris; calix 5-fidus. *Masc.* Petala 5, sæpiùs 0; stamina 30-40, filamentis brevibus, antheris extrosis. *Fœm.* Styli 3, simplices, breves, stigmata 3.

Crotonis *quadripartiti* La Bill. (2. 73. tab. 223) folia opposita, serrata, glabra; flores dioeci, bracteati : masculi spicati, terminales, quibus calix 4-partitus in præfloratione valvatus; stamina plurima, filamentis brevibus in præfloratione erectis, antheris adnatis, apiculatis, introrsis : fœminei racemosi, axillares, quibus calix 5-7-partitus, styli 3 bidentati.

Croton *cyanospermum* et *C. cardiospermum* Gœrt. (2. 120. tab. 107), species zeïlonenses, quarum nulla pars nota præter capsulam 3-coccam ; in priori 6-spermam, cotyledonibus obliquè cordatis; in posteriori extùs à basi 6-valvem, 3-spermam, seminibus infrà perforatis, absque ullo dubio ad Crotones non spectant, monente Gœrtnero.

In Crotone *castaneifolio* L. et *C. palustri* L.-Kunth., herbis americanis : flores monœci. *Masc.* Calix 5-partitus; petala 5 alterna; stamina 10, antheris introrsis, filamentis infrà connatis in stipitem pistilli abortivi, verticillata 5 superiora, 5 inferiora. *Fœm.* Calix 5-partitus, aut 6-partitus laciniis 3 alternis, brevioribus; petala 5-6 alterna, citò decidua aut nulla; styli 3 flabellato-multifidi, glabri; fructus 3-coccus, coccis 2-valvibus, 1-spermis. Flores in spicis axillaribus unilaterales, bracteati; superiores masculi plures, decidui; inferiores fœminei. Folia alterna, oblonga, serrata, nervosa, juniora subviolacea. Hispidi caules, petioli, nervi, pedunculi, calices, fructus, pilis simplicibus, in alterâ specie, apice glanduliferis. Non-ne novum genus indè instituendum ?

Croton *tricuspidatus* Lamck. seu *lanceolatus* Cav. (icon. 6) et *C. quinquecuspidatus* (Herb. Mus.), herbæ, altera chilensis, altera peruviana, affines præcedentibus habitu, inflorescentiâ, foliis oblongis, serratis, violaceo colore, sicut flores, imbutis, sed dissimiles calice 5-glanduloso, in masculo flore petalis 5 colo-

ratis, unguiculatis, limbo 3-5-cuspidato, staminibus 5 monadelphis; in fœmineo, stylis bifidis. Plantæ mediæ inter Ditaxim et Crozophoram.

Croton *solanifolius* Geisel., herba javanensis, à veris Crotonibus differt calicis 5-partiti præfloratione convolutivâ, petalorum defectu, staminibus plurimis, erectis, in globum compactis, ovario pilis simplicibus hirsuto, foliis glaberrimis toto habitu.

CROTONOPSIS. Michx.

Flores monœci. masc. Calix 5-partitus; petala 5 alterna, receptaculo inserta; stamina 5 filamentis liberis, exsertis, antheris apici filamentorum dilatato adnatis, introrsis. fœm. Calix 5-partitus, laciniis 2 sæpiùs abortientibus, intùs squamulis totidem oppositis instructus. Stigmata 3, subsessilia, biloba; ovarium uniloculare, 1-ovulatum. Fructus siccus, indehiscens.

Caulis herbaceus, squamulis furfuraceis punctatus. Folia iisdem subtùs argentea, alterna, angusta. Flores in extremis ramulis axillares, occasu foliorum quasi spicati, fœminei inferiores, bracteati. Calices et fructus pilis stellatis obsiti.

obs. Species unica carolinensis, quæ C. linearis Michx. (2. 185. tab. 46), varians foliis linearibus ellipticisve. — Genus affine Crotoni, habitu, calicibus, foliis lepidotis, pilis stellatis; Euphorbiaceum inverso seminis et embryonis situ et perispermo carnoso, abnorme tamen fructu 1-loculari. An abortu? At mihi in ovariis junioribus loculus semper unicus occurrit.

ADELIA. L.-J.-(non Michx.) — Bernardia. Houst.

Flores diœci. Calix 5-6-partitus; præfloratio valvata. Petala 0. masc. Stamina plurima filamentis in præfloratione erectis, basi coalitis, antheris globosis. fœm. Stigmata 3 subsessilia, lacera; ovarium disco impositum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus.

Frutices, ramis interdùm in spinas desinentibus. Folia alterna, integra aut subserrata, nunc glabra, nunc pilis stellatis subtùs tomentosa, sicut et ramuli, pedunculi, bracteæ, calices. Flores axillares aut terminales, spicati aut fasciculati, aut etiam solitarii, bracteati.

obs. Species 7, sub nomine *Adeliæ*, in libris et herbariis, quarum 6 americanæ. Quædam autem habitu aut nonnullis characteribus dispares. — In *A. ferruginea* Poit. (Herb. Mus et Desf.) stamina 10 inserta ad ambitum disci glandulosi, centralis. — *A. virgata* Enc. suppl., sub nomine *A. Acidoton?* In hortis culta, cujus flores fœminei tantùm noti, Fluggeæ affinior habitu, foliis parvis, apice subemarginatis, præfloratione convolutivâ, stylis 3 brevibus bifidis, loculis 3 2-ovulatis. — *A. anomala* Enc. supp., ex Sierrâ-Leonâ, cui spinæ in ramis oppositæ, ad quarum axillas folia alterna, glabra, subcrenata; flores masculi, in racemis axillaribus fasciculati, fasciculis 2-3-floris, basi bracteatis; calix 3-partitus, in præfloratione valvatus; stamina plurima receptaculo villoso inserta, loculis antherarum distinctis, in apice filamenti erectis (planè ut in Claoxylo); hinc huic generi affinior quàm Adeliæ, si tamen Euphorbiacea. Flores autem fœmineos, racemosos, minutissimos, stigmatibus 2-3 reflexis (ex descriptione Encycl.), quamvis in eodem specimine, nullos reperi. Forsàn pro talibus habiti pedunculi 2-3-fasciculati, bracteis infrà cincti, post occasum florum reflexi.

ACIDOTON. Sw.

Flores monœci vel diœci. masc. Calix profundè 5-partitus, reflexus. Petala 0. Stamina plurima, filamentis receptaculo globoso insertis, antheris erectis. fœm. Calix profundè 6-partitus, patens. Stylus brevis, 3-fidus; stigmata 3 reflexa, tomentosa. Fructus capsularis, 3-coccus, coccis 2-valvibus, 1-spermis.

Arbuscula frutexve. Folia stipulacea, alterna, integra, glabra, nervosa. Flores in diversis racemis masculi et fœminei, fœmineis longioribus, plerumquè terminalibus, bracteis minutis stipati. Rami, petioli, pedunculique setis urentibus hispidi; foliaque iisdem ciliata.

obs. Species unica jamaïcensis. — Charact. ex Sw. Fl. 952. tab. 18.

ROTTLERA. Roxb. — Crotonis spec. auctorum.

Flores diœci aut? monœci. masc. Calix 3-5-partitus, laciniis in præfloratione valvatis, posteà reflexis. Petala 0. Stamina plurima in præfloratione erecta; filamenta libera, aut tantùm basi coalita, inserta receptaculo nudo aut villoso, plano aut convexo; antherarum loculi adnati apici filamentorum dilatato aut interdùm graniformi. fœm. Calix

3-5-partitus. Petala 0. Stylus 2-3-partitus aut styli 2-3 reflexi, intùs plumosi; ovarium 2-3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 2-3-coccus, inermis aut molliter echinatus.

Arbores aut frutices. Folia alterna, basi interdùm 2-glandulosa, integra aut crenata, venosa, nunc pilis stellatis subtùs punctata obsitave, nunc rariùs adultiora utrinque glabra. Flores in spicis racemisve axillaribus aut terminalibus, simplicibus aut ramosis, solitarii glomerative, bracteati. Capsulæ pilis stellatis, sicut pedunculi, bracteæ, flores, plerumquè obsitæ, interdùm granulis coccineis flavisve pulverulentæ.

obs. Species circiter 20, indicæ, zeïlanenses, javanenses, philippicæ, sinenses, quædam timorenses; inter quas adnumeranda, *Croton philippense* Lamck., *C. punctatum* Retz., *C. acuminatum* Lamck., *C. paniculatum* Lamck., *C. ricinoides* Pers., *Ricinus apelta* Lour., et forsàn quoque *Croton nutans* Forsk. et *C. chinensis* Geisel. Cæteræ species aut novæ (Herb. Mus. et J.), aut quædam forsàn Crotonum imperfectè cognitorum conspecificæ.

Affinis habitu Trewia *nudiflora* W. spec., quæ *Rottlera indica* ejusdem (Goett. diar. hist. nat. 1. 8. t. 3), cui : flores dioeci. Calix 3-4-partitus, in præfloratione valvatus, posteà reflexus. *Masc.* Stamina plurima, erecta, filamentis basi coalitis. *Fœm.* Stylus 4-partitus, laciniis oblongis, reflexis, intùs plumosis; ovarium 4-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus (ex Commel. mal. 3 et Reed. 1. 76. tab. 42) 3-coccus. Sed tamen non tantùm à Rottlerâ, sed etiam ab Euphorbiaceis depellenda est, utpotè conspecifica, ex Willdenow, *Tetragastris osseæ* Gœrt. (2. 150. tab. 109), in quâ fructus baccatus, intùs 4-pyrenus, pyrenis 1-spermis, seminibus pendulis, perispermo destitutis.

Mallotus Lour., arbor sinensis consociata Trewiæ à Willdenow, affinior tamen Rottleræ ex descriptione (Lour. 780); nam : folia tricuspidata, tomentosa; flores racemosi, dioeci; calix 3-phyllus, foliolis pilosis patentibus; in masc. stamina plurima receptaculo inserta; in fœm. styli 3 oblongi, reflexi, hirsuti, colorati; fructus capsularis 3-lobus, 3-locularis, loculis 2-valvibus, 1-spermis, villis multis, longis, mollibus septus.

CODIÆUM. Rumph. — Phyllaurea. Lour. — Crotonis spec. L.

Flores monoeci. masc. Calix 5-partitus, reflexus; præfloratio convolutiva. Petala 5 alterna, minora, squamiformia, quibus glandulæ 5 interiores alternæ. Stamina plurima; filamenta in præfloratione erecta,

libera, receptaculo inserta; antherarum loculi utrinque apici filamentorum adnati FOEM. Calix 5-fidus. Petala o. Styli 3 simplices, oblongi, reflexi; ovarium infrà squamulis 5 cinctum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus subbaccatus (ex Rumph.) aut capsularis, 3-coccus.

Arbores aut frutices. Folia alterna, integra, glaberrima, lucida, interdùm eleganter variegata. Flores axillares aut terminales, racemosi, in racemis diversis masculi et fœminei, bracteati singuli.

OBS. Species 2; altera (*Croton variegatum* L., seu *Codiæum* Rumph. 4. 65 tab. 25-27) indica, cochinchinensis, moluccana, japonensis, cujus plures varietates; altera timorensis (in Herb. Mus.).

GELONIUM. Roxb.-W.-(non Gœrt. et A. P. T.)

Flores diœci. Calix 5-partitus, reflexus; præfloratio convolutiva. Petala o. MASC. Stamina 12 aut multò plura, receptaculo multiglanduloso imposita, filamentis exsertis, antheris adnatis, extrorsis, oblongis. FOEM. Stigmata 2-3 sessilia, lacera; ovarium carnosum, disco glanduloso impositum, 2-3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 2-3-coccus.

Caulis lignosus. Folia alterna, integra aut apice tantùm serrata, coriacea, glaberrima, lucida, venosa; juniora (ex W. in *G. bifario*) involuta stipulâ simplici, ante explicationem vaginante, mox caducâ (ut in Ficu). Flores fasciculati, fasciculis axillaribus, multibracteatis.

OBS. Species 3-4, una timorensis (Herb. Mus.), cæteræ indicæ.

HISINGERA. Hell.-W.

Flores diœci. MASC. Calix 4-sepalus. Petala o. Stamina 15-25, filamentis distinctis. Glandulæ minutæ, difformes, ad basim staminum quadratim locatæ. FOEM. Calix 6-sepalus. Petala o. Styli 2 breves, crassi; stigmata capitato-depressa, anticè bidentata. Bacca subrotundo-didyma, 2-locularis, 2-sperma.

Frutex ramosus, ramis alternis. Folia (carpini) alterna, apice serrata, glabra, coriacea, nitida. Flores axillares, conferti, pedunculati, pedunculis unifloris, brevibus.

obs. Species unica antillana. — Charact. ex Hellen. (Act. holmiensia. 1792. 32. tab. 2).

MOZINNA. Orteg. — Loureïra. Cav.-W.

Flores diœci. Calix 5-partitus. Corolla urceolata, 5-loba. Glandulæ 5. masc. Stamina 8-13, filamentis infrà coalitis, 5 exteriora, breviora. fœm. Stylus bifidus; stigmata 2 lata emarginata aut 4 linearia. Capsula calice persistente infrà cincta, 2-valvis, 2-cocca, coccis 1-spermis, interdùm abortu 1-locularis, 1-sperma.

Frutices succo fœti gummoso. Folia alterna aut fasciculata, stipulacea, integra aut rariùs lobata, pilis glanduliferis interdùm (sicut calices) ciliata. Flores bracteati, axillares aut terminales, fœminei solitarii geminative, masculi fasciculati aut corymbosi.

obs. Species 2 mexicanæ. — Charact. ex Cav. (ic. 5. 17. tab. 429-30) et Ort. (dec. 105. tab. 13).

AMPEREA.

Flores monœci aut? diœci. masc. Calix campanulatus, 4-5-fidus; præfloratio valvata. Petala 0. Stamina 8 exserta, filamentis subliberis, 4 exterioribus brevioribus; antherarum loculi distincti, è connectivo granuliformi utrinque penduli, ovati, lutei, in longum secundùm lineam fuscam dehiscentes. fœm. Calix 5-partitus, laciniis rigidis, persistens. Stigmata 3 erecta, bifida, divisuris acutis. Fructus capsularis, ovoïdeus, pericarpio tenui, 3-cocco, coccis 2-valvibus, 1-spermis, deciduis.

Suffrutices? ramis compressis, erectis aut virgatis. Folia alterna aut sparsa rariora, brevia, linearia, acuta. Flores axillares, solitarii aut fasciculati, fasciculis 2-aut-plurifloris, masculis aut fœmineis, multibracteati, bracteis rigidis, acutis, interdùm ciliatis. Habitus à plerisque Euphorbiaceis valdè diversus.

obs. Species 3 è Novâ-Hollandiâ (in Herb. Mus.)—Genus dicatum claro Ampere, ex acad. scient.

RICINOCARPOS. Desf.

Flores monœci. Calix 5-partitus. Petala 5 longiora. MASC. Stamina numerosa, filamentis connatis in columnam glandulis 5 cinctam, à basi ad apicem antheriferam, antheris adnatis, extrorsis. FŒM. Styli 3 bipartiti; ovarium squamulis 5 cinctum, papillosum. Capsula globosa, trisulca, aculeis confertis echinata, 3-locularis, loculis 1-spermis.

Frutex. Folia alterna, linearia, mucronata. Flores terminales, pedicellati, bracteati, solitarii corymbosive, corymbis paucifloris. Capsula et semina Ricini.

OBS. Species unica è Novâ-Hollandiâ.—Charact. ex Desf. (Mem. Mus. 3. 459. tab. 22).

RICINUS. L.-J. — *Ricin.*

Flores monœci. Calix 3-5-partitus; præfloratio valvata. Petala 0. MASC. Filamenta plurima multifariàm ramosa; antherarum loculi distincti, sub apice filamentorum utrinque adnexi. FŒM. Stylus brevis; stigmata 3 profundè bipartita, oblonga, colorata, plumosa; ovarium globosum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus plerumquè echinatus, capsularis, 3-coccus.

Arbores fruticesve aut herbæ interdùm arborescentes. Folia alterna, stipulacea, palmata, peltata, petiolo ad apicem glanduloso. Flores paniculati, terminales, inferiores masculi, fœminei superiores; omnes cum pedunculis articulati, bracteis quandoquè biglandulosis stipati.

OBS. Species 6, quædam fortè tantùm varietates, africanæ et indicæ, quarum una quoque europæana australis. — Prætereà nonnullæ foliis indivisis ab auctoribus describuntur; sed aliæ ad alia genera (Mappam, Rottleram) depulsæ; duæ adhùc reliquæ à Ricino ipsæ profectò rejiciendæ, utpotè discrepantes habitu florumque et foliorum characteribus. Hæ duæ species scilicet sunt: 1° *Ricinus integrifolius* W., arbor mauritiana, cui flores monœci, racemosi, bracteati; masculi calice 3-partito, filamentis numerosis, simplicibus, à basi coalitis; fœminei superiores, calice 5-partito, lineari, stylis 3 simplicibus, capsulis echinatis. 2° *Ricinus globosus* W. seu *Croton globosum* Sw., frutex jamaïcensis, cui (ex Sw. Fl. 1181) flores monœci, racemosi; masculi calice tubulato, 3-fido, filamentis 7 coalitis, 3 mediis longioribus; fœminei

calice nullo, stylis 3 bifidis, stigmatibus villosis, capsulis globosis echinato-hispidis. — In *Crotone salvifolio* Geis., cui tamen folia indivisa, subintegra, filamenta occurrunt polyadelpha, ramosa ut in veris Ricinis. — *R. viridi* flores quidam hermaphroditi.

JANIPHA. Kunth. — Manihot. Adans. — Jatrophæ spec. auctorum.

Flores monœci. Calix campanulatus, 5-partitus; præfloratio convolutiva. Corolla o. masc. Stamina 10 libera, margini disci carnosi inserta, quinque alterna breviora. fœm. Stylus brevis; stigmata 3 plurilobata, lobis in massam unicam sulcis sinuosis exaratam quasi connatis; ovarium disco carnoso impositum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus, coccis 2-valvibus.

Arbores aut frutices lactescentes. Folia alterna, palmata. Flores racemoso-paniculati, axillares aut terminales. Radix quarumdam tuberculosa, esculenta.

obs. Species 5 americanæ (quæ vernaculè *Yuca*, *Yuquilla*, *Manihot*, etc., nuncupantur), inter quas *Jatropha janipha* et *J. manihot* L. — Charact. ex Kunth (2. 106. tab. 109), et ex sicco.

JATROPHA. Kunth. — Jatrophæ spec. L. — Crotonis spec. Forsk. — Castiglionia. R. P. — Curcas. Adans. — Bromfeldia. Neck. — Jussievia. Houst. — *Médicinier.*

Flores monœci. Calix 5-partitus aut 5-lobus; præfloratio convolutiva. Corolla 5-partita aut nulla; præfloratio contorta. Glandulæ aut squamulæ 5, rariùs nullæ, nunc distinctæ, nunc in annulum sinuatum discumve coalitæ. masc. Stamina 8-10, filamentis infrà connatis, quorum 3-5 interiora, longiora. fœm. Styli 3 bilobi bifidive aut pluriès dichotomi; stigmata 6 aut plura; ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus.

Arbores aut frutices, rariùs herbæ, lactescentes. Folia alterna, basi interdùm glandulosa, nunc integra, nunc sæpiùs palmata lobatave, glabra aut setis glandulosis urentibusve hispida. Flores axillares aut terminales, corymbosi, plerumquè non obscurè colorati.

obs. Species circiter 20; 5 arabicæ aut indicæ, cæteræ è regionibus utriusque

Americæ calidioribus. — Non-ne ex his duplex genus instituendum? Alterum (*Curcas* Adans. — *Castiglionia* R. P. — *Bromfeldia* Neck.) complectens species corollatas, stylis bifidis aut bilobis; alterum (*Jussievia* Houst. tab. 15), species corollâ destitutas, stylis plurifidis. — Occurrit interdùm rudimentum pistilli in floribus masculis, staminum in fœminis. An indè flores hermaphroditi quos Ruiz et Pavo (Prodr. tab. 37) suæ Castiglioniæ tribuunt? — An verè congener *Jatropha divaricata* Sw., cujus flores racemosi, pallidi, parvi, styli 3 brevissimi, stigmata crassiora, capsula 2-3-locularis, loculis dispermis?

ELÆOCOCCA. Commers. — Dryandra. Thunb. (non R. Br.) — Vernicia. Lour.

Flores monœci aut? dicœci. Calix 2-3-partitus; præfloratio valvata. Petala 5 duplò longiora; præfloratio contorta. masc. Stamina 10-12 (9 ex Th.), filamentis infrà connatis, 5 exterioribus, brevioribus; antheris introrsis, duabus superioribus sæpè abortivis. fœm. Stigmata 3-5 subsessilia, simplicia aut bifida; ovarium 3-5-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus carnoso-fibrosus, intùs 3-5-coccus.

Arbores. Folia alterna, longè petiolata, basi 2-glandulosa, integra aut inferiora lobata, glabra juniorave pubescentia. Flores paniculati, terminales, pedunculis articulatis.

obs. Genus nullatenùs diversum ab Aleurite ex R. Brown (Prodr. 397), qui generi cuidam Proteaceo tribuit hoc Dryandræ nomen, eam ob causam hîc immutatum. — Species 2, altera japonica (*Dryandra cordata* Th. 13 et 277. tab. 27. — *Abrasin* Kœmpf. Amœn.), altera sinensis et cochinchinensis (*Vernicia montana* Lour. 270. — *Dryandra vernicia.* Correa. Ann. mus. 69. tab. 32). Hæc vulgò *Arbor vernicis*, illa *Arbre d'huile*, nuncupatur, ex usu seminum quæ admodùm oleaginosa sunt, sicut in generibus vicinis *Andá*, *Aleurite*, *Jatrophâ*, *Ricino*, etc. — In ovario, loculi pleni quodam muco partìm per aquam solubili.

ALEURITES. Forst.-J. — Ambinux. Commers. — Camirium. Rumph. — Crotonis et Jatrophæ spec. L.

Flores monœci. Calix 2-3-partitus; præfloratio valvata. Petala 5 colorata; præfloratio convolutiva. Interior discus 5-lobus, lobis squamiformibus. masc. Stamina plurima, filamentis brevibus, connatis

in receptaculum conicum columnare, antheris adnatis, introrsis. FŒM. Styli 2 bipartiti; ovarium tunicâ involutum distinctâ, conformi, villosâ, superiùs fissâ, biloculare, loculis 1-ovulatis. Fructus (ex Commers., Forst. 56, Rumph. 2. 181. tab. 58.) carnosus, intùs 2-coccus, coccis interiùs sub apice hiantibus, 2-valvibus.

Arbores. Folia alterna, longè petiolata, basi 2-glandulosa, integra aut lobata. Florum paniculæ magnæ, ramosæ; in paniculis partialibus, fœminei inferiores, rari, crassè pedunculati, masculi superiores, multibracteati. Ferè omnes partes pilis stellatis minutissimis quasi farinosæ.

OBS. Species 2-3 moluccanæ, zeïlonenses, javanenses, ex insulis Societatis. — An tunica cum ovario concrescens? an caduca?

ANDA. Pis. — JOANNESIA. Velloz.-Gomes.-(non Pers.)

Flores monœci. Calix campanulatus, 5-dentatus. Petala 5 longiora, breviter unguiculata, patentia. His glandulæ 5 alternæ. MASC. Stamina 8, filamentis coalitis, antheris incumbentibus, 3 interiora, longiora. FŒM. Stylus brevis, bifidus; stigmata 2 lævia, dentata. Fructus magnus, pulverulentus, carnosus, fœtus putamine 2-angulato, utrinque in angulis sub apice fenestrato, 2-loculari, loculis 1-spermis.

Arbor magna, lactescens. Folia quinata, foliolis integerrimis, nervosis, nitidis, petiolata petiolo glandulis 2 sessilibus ad divisionem instructo. Flores paniculati, terminales; masculi pedunculati, pedunculis bibracteatis, biglandulosis, fœminei subsessiles.

OBS. Species unica brasiliensis (*Andaaçu* incolarum). — Charact. ex Bern. Gomes. (Observ. bot. med. de brasil. plant. 5. tab. 1. in Mem. acad. Lisb. III), et nucis quoque ex siccâ.

SIPHONIA. Rich.-W. — HEVEA. Aubl. — JATROPHÆ spec. L. f.

Flores monœci. Calix 5-fidus aut 5-partitus; præfloratio valvata. Petala 0. MASC. Filamenta connata in columnam apice liberam (an pistilli rudimentum?), infrà 5-10 antheriferam, antheris quinatim verticillatis, subsessilibus, adnatis, extrorsis. FŒM. Stigmata 3 sessilia,

sub-biloba ; ovarium basi calicis circulari persistenti impositum, 6-costatum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus (ex Aubl. 871. tab. 335), capsula magna, cortice fibroso vestita, 3-cocca, coccis elasticè 2-valvibus, interdùm abortu 1-2-sperma.

Arbores lactescentes, ramis apice foliosis. Folia longè petiolata, ternata, foliolis integerrimis, glabris, venosis. Flores racemoso-paniculati, axillares et terminales, in racemo quolibet fœmineus unicus terminalis, cæteri masculi.

OBS. Species 2 guianenses et brasilienses, quarum altera succum fundit aqueo-resinosum facilè concrescentem in massas elasticas (*Caoutchouc. Gomme élastique*), ad usus varios usurpatas.

MABEA. Aubl.-J.

Flores monœci. MASC. Calix 5-dentatus. Petala 0. Stamina 9-12 receptaculo subconico inserta, filamentis subnullis, antheris adnatis, extrorsis. FŒM. Calix 5-fidus, æqualis, aut 6-fidus laciniis 3 exterioribus, brevioribus. Stylus oblongus, 3-fidus; stigmata 3 filiformia, contorta; ovarium globosum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus.

Arbusculæ lactescentes ramis sarmentosis pendentibus. Folia alterna, stipulacea, integra aut subcrenata, venosa, supernè lucida. Flores densè paniculati, terminales; pedunculi basi aut superiùs bracteati, bracteâ utrinque glandulosâ, fœminei inferiores, pauciores, longissimi, 1-flori, masculi 3-fidi, 3-flori.

OBS. Species guianenses 2 editæ (Aubl. 867. t. 334), quædam edendæ.

HYÆNANCHE. Lamb. — TOXICODENDRON. Thunb.

Flores dioeci. MASC. Calix 5-7-sepalus. Stamina 10-30, filamentis brevibus, antheris oblongo-ovatis. FŒM. Calix polysepalus, sepalis imbricatis, deciduis. Styli 2-4; stigmata 4 reflexa, glandulosa, fimbriata. Fructus suberosus, extùs 8-sulcus, 4-coccus (3-coccus ex Thunb. Act. holm. 1796. 188. tab. 7), coccis 2-valvibus, 2-spermis.

Arbor. Folia 3-4-verticillata, petiolo brevi canaliculato, integra,

lucida, venosa, crassiuscula. Flores axillares ; fœminei pedunculis brevibus, paucifloris ; masculi in racemis longioribus, congestis, bracteati.

OBS. Species unica capensis. — Charact. ex Vahl et Lambert (Dissert. de Cinchon. 52. tab. 10), qui *Hyænanchen globosam* conspecificam asserunt *Jatrophæ globosæ* Gœrt. (2. 122. tab 109). An rectè ? Cùm ista differre videatur et patriâ, quippè quæ à Curaçao missa, et formâ fructûs, de quo tamen solo mentio apud Gœrtnerum facta. — An flores masculi verè polyandri, sepalis pluribus distinctis, imbricatis ? Non-ne potiùs, habitâ ratione, tùm variantis sepalorum numeri situsque et magnitudinis, tùm ipsorum staminumque aucti sensim numeri in extremis racemi floribus, flores idcò admittendi singuli staminibus et sepalis seu bracteis instructi paucioribus, sed plures inter se coaliti, florem unicum polysepalum et polyandrum mentientes ? — Genus à vicinis calicis et florum fœmineorum structurâ, coccisque dispermis dispar : an Buxo affinius ?

GARCIA. Rorh.-Vahl.

Flores monœci. Calix 2-partitus ; præfloratio valvata. Petala 10 (10-11 in masc. 7-9 in fœm., ex Valh.) longiora, reflexa, pilososerícea. MASC. Stamina plurima, antheris adnatis, filamentis liberis, insertis receptaculo carnoso, hæmispherico, villoso, ad ambitum multiglanduloso. FŒM. Stylus brevis ; stigma trilobum, coloratum ; ovarium disco ad ambitum incrassato impositum, 3-gonum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, subglobosus, tricoccus.

Arbuscula. Folia alterna, integra, glabra, venosa. Pedunculi terminales, 5-6-flori, floribus bracteatis, fœmineo unico, cæteris masculis superioribus ; (ex Valh, masculi in distincto ramo à fœmineis)

OBS. Species unica ex provinciâ americanâ Sanctâ-Marthâ. — Charact. ex sicco et ex Vahl (Symb. 3. 100. et Act. soc. hafn. 2. 218. tab. 9).

SECTIO IV.

FLORES monœci aut diœci. Calix 2-5-partitus ; præfloratio valvata. Petala 0. MASC. Stamina 2-3 aut plura definita, filamentis liberis aut

coalitis, loculis antherarum connexis aut sæpè distinctis. FŒM. Stylus simplex 2-3-partitus aut styli 2-3; stigmata simplicia, sæpiùs plumosa laciniatave; ovarium 2-3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 2-3-coccus.

Arbores, frutices aut herbæ. Folia alterna, plerumquè serrata. Flores bracteati, bracteis interdùm maximis, multifloris; nunc sæpiùs masculi glomerati, glomerulis spicatim in axi communi dispositis, fœminei in spicâ eâdem diversâve aut solitarii; nunc rariùs racemosi, masculi superiores, fœminei inferiores.

ALCHORNEA. Sw. — HERMESIA. Bonpl.

Flores diœci. Calix 2-5-partitus, in fœminis sæpiùs dentatus. MASC. Stamina 8, filamentis basi in annulum coalitis, antheris introrsis. FŒM. Stylus oblongus, profundè bipartitus; stigmata 2; ovarium didymum, 2-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus (ex Sw. Fl. 1153), capsula baccata, 2-cocca. Rarissimè stigmata et loculi 3.

Arbores aut arbusculæ. Folia alterna, subintegra aut serrata, glabra, fragilia, nervis prominentibus subtùs instructa. Flores axillares aut terminales; masculi in spicis plerumquè ramosis glomerati, glomerulis alternis, bracteatis; fœminei solitarii aut spicati, spicâ simplici.

OBS. Species 5; duæ editæ, altera jamaïcensis (*Alchornea latifolia* Sw.), altera ex Americæ æquinoctialis continente (*Hermesia castaneifolia*. Humb. Bonpl. Pl. æq. tab. 46); cæteræ ineditæ, quarum una brasiliensis (in Herb. Mus.), duæ africanæ (in Herb. J.), senegalenses, guianensesve. — Congeneres fortè prætereà species 1-2 habitu et inflorescentiâ similiores, sed floribus masculis 4-5-andris, fœmineis ignotis.

CONCEVEÏBUM. Rich.

Flores diœci. MASC. Calix 3-partitus. Stamina 3-4 exserta, filamentis infrà coalitis, antheris adnatis, introrsis. FŒM. Calix 5-fidus; styli 3; stigmata plumosa; ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus.

Arbores, quædam succo viridi scatentes. Folia alterna, stipulacea, longè petiolata, subserrata, supernè glabra, subtùs nervis prominulis reticulata. Flores in spicis axillaribus aut terminalibus, simplicibus fasciculatisve; masculi glomerati, glomerulis multibracteatis; fœminei solitarii, pedunculo incrassato ad basim bracteato insidentes.

OBS. Species 2 guianenses, altera *C. cordatum* (Herb. Rich.) ex quâ character hic desumptus; altera *C. ovatum* (Herb. Rich.) seu *Conceveiba guianensis* Aubl. (923. tab. 355), an verè congener? Hæc enim priori affinis habitu, floribus, inflorescentiâ; sed flores ejus fœminei tantùm noti, quibus: pedunculi crassi, articulati, bracteâ glandulosâ stipati; calix 5-6-partitus, laciniis rigidis, acutis, sub quibus alternæ glandulæ totidem bilobæ; stylus brevis, tripartitus; stigmata 3 biloba; ovarium trigonum pilis fasciculatis quasi pulverulentum, intùs 3-loculare, loculis basi villosis, 1-ovulatis; fructus angulatus, coriaceus, (ex Aubl.) trifariàm dehiscens, loculis 2-valvibus, seminibus calyptrâ carnosâ, eduli vestitis.

CLAOXYLON. — ACALYPHÆ spec. auctorum.

Flores diœci. MASC. Calix 3-4-partitus. Stamina 15 aut plura; filamenta receptaculo hemisphærico inserta; antherarum loculi in apice filamenti distincti, erecti, ab apice in longum dehiscentes. FŒM. Calix brevis, 3-partitus; alternæ appendiculæ 3, subcarnosæ, coloratæ. Styli 2-3 reflexi, breves, intùs plumosi; ovarium 2-3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 2-3-coccus.

Arbusculæ aut frutices. Folia alterna, serrata, scabra. Flores in spicis aut racemis axillaribus, solitarii aut laxè fasciculati, fasciculis 1-bracteatis, singuli bracteolati, brevissimè pedunculati, plerumquè imbuti colore purpureo, præsertim in præfloratione.

OBS. Species 5; 3 borbonienses ibiquè, ex Commers., vernaculè *Bois cassant* nuncupatæ (in Herb. J. et Mus.); 2 indicæ, quarum una est *Acalypha spiciflora*. Burm.

MACARANGA. A. P. T. — PANOPIA. Noronh.

Flores diœci. MASC. Calix 4-partitus; stamina 8-12, filamentis

exsertis, liberis, antheris terminalibus, complanatis, cruciatìm bisulcis (ut in Mappâ). FŒM. Calix urceolatus, minimus. Ovarium desinens in stylum liguliformem, cui hinc adnatum stigma villosum. Fructus follicularis, sæpè tuberculosus, 1-locularis, 1-spermus. Semen è summo loculo pendulum; embryo intra perispermum carnosum minimus radiculâ superâ.

Arbores vel frutices resinifluæ. Folia alterna, stipulacea stipulis caducis, basi 2-glandulosa, cordata peltatave. Flores axillares, masculi in spicis ramosis glomerati, glomerulis bracteatis; fœminei sæpiùs solitarii bracteis glandulosis stipati.

OBS. Species circiter 4, tres scilicet madagascarienses (*Macaranga* incolis), una mauritiana (vernaculè *Bois violon*). — Genus Euphorbiaceum, confirmante habitu, situ et structurâ seminis, contradicente unitate stigmatis et loculi. Sed fructus visus, semel quidem, dicoccus. — Characteres desumpti ex Aubert du Petit-Thouars (Gen. mad. 88), aut ab ipso communicati; quidam ex sicco.

MAPPA. — RICINI spec. L.

Flores monœci diœcive. MASC. Calix 3-partitus. Stamina 3-10; filamenta libera aut imâ basi coalita; antherarum loculi globosi, in longum sulcati et dehiscentes. FŒM. Calix 2-3-fidus. Styli 2-3 oblongi, reflexi, intùs plumosi, stylusve unicus 2-3-partitus; ovarium echinatum, 2-3-loculare, loculis 1-ovulatis. Capsula 2-3-cocca, echinis rarìs, longioribus armata.

Arbores aut frutices. Folia alterna, longissimè petiolata, 2-stipulacea stipulis magnis, deciduis, peltata, subintegra, nervosa. Flores spicati, spicis axillaribus, pluriès ramosis, bracteati : bracteæ sessiles, magnæ, in fœminis 1-floræ, in masculis multifloræ. Capsulæ conspersæ granulis resinosis, luteis (quibus odor gummi ammoniaci); foliaque punctulis similibus notata.

OBS. Species circiter 4 : una indica et moluccana, quæ *Ricinus mappa* L., Acalyphæ à Willdenow adjuncta; una timorensis, quæ forsàn conspecifica *Ricini tanarii* L., indici et cochinchinensis, hùc quoque referendi; una prætoreà inedita (Herb. Mus.) zeïlanensis. An tandem congener *Ricinus dioïcus* Forst?

CATURUS. L.-J. — Galurus. Spreng. — Acalyphæ spec. Burm.

Flores diœci. masc. (ex L.) Calix 3-fidus ; stamina 3, filamentis exsertis, antheris subrotundis. fœm. Calix 3-partitus. Styli 3 laciniati, laciniis plurimis irregularibus ; ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus.

Arbusculæ aut frutices. Folia alterna, stipulacea, serrata. Flores axillares, spicati ; fœminei in spicâ densâ, longissimâ, stylorum laciniis coloratis hispidâ, glomerati, singuli bracteati, bracteâ 5-partitâ.

obs. Species 2, altera indica (*Acalypha hispida* Burm. Ind. tab. 61. — *Cauda felis* Rumph. 4. tab. 37) ; altera cochinchinensis, scandens (Lour. 751). — An flores masculi, qui, confitente ipso Linnæo, minùs distinctè visi, verè 3-andri? In speciminibus masculis Caturo spicifloro similioribus (Herb. Mus.) flores mihi occurrerunt in spicis oblongis glomerati ; instructi calice 4-partito, valvato ; 8-andri, loculis antherarum distinctis, utrinque connectivo globuloso appensis, oblongo-ovatis. Quæ si verè Caturi conspecifica sint, genus hoc abolendum et Acalyphæ adjungendum. Species enim cochinchinensis, cujus flores fœminei ignoti, nullius momenti esse potest.

ACALYPHA. L.-J. — Kunth. — Cupameni. Adans. — *Ricinelle.*

Flores monœci aut diœci. masc. Calix 4-partitus. Stamina 8-16 ; filamenta basi incrassatâ connata ; antherarum loculi distincti, utrinque filamento sub apice appensi, liberi, oblongo-flexuosi, vermiformes. fœm. Calix 3-partitus. Styli 3 multilaciniati, laciniis tenuibus, inæqualibus, irregularibus, plerumquè rubris ; ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus.

Arbores, frutices, aut sæpiùs herbæ (habitus Urticæ aut Amaranthi). Folia alterna, stipulacea, serrata aut rarissimè subintegra, glabra aut villosa. Flores axillares aut terminales, spicati ; in spicis, masculi glomerati, glomerulis bracteâ minutâ stipatis ; fœminei bracteati, bracteâ 1-3-florâ, ipsis longiore, persistente, plerumquè serratâ lobatâve. Spicæ amentiformes, nunc androgynæ floribus masculis superioribus, inferioribus fœmineis, quorum interdùm unus abortivus terminalis ; nunc unisexuales in diversâ stirpe, aut in eâdem

et tunc masculæ terminales reliquis fœmineis, vel contrà terminales fœmineæ reliquis masculis.

obs. Genus admodùm naturale, ab omnibus stylorum et imprimis staminum structurâ distinctum. Cujus ità circumscripti species circiter 60 descriptæ exstant, 40 scilicet americanæ, 10 indicæ, madagascarienses, borbonienses, mauritianæ, paucæ utrique continenti communes, cæteræ dubiæ aut patriâ ignotâ. Quædam quoque in herbariis ineditæ, et huc prætereà referendæ nonnullæ Tragiæ species, ut *Tragia marginata*, *T. colorata*, *T. filiformis* (Encycl.), et verisimiliter quoque *T. virgata*. Encycl. et *T. mercurialis*. L. — *Acalypha tiliæfolia*. Poir. Enc., arbor antillana, cui flores fœminei ignoti, masculi 4-andri, filamentis liberis, tenuibus, receptaculo villoso insertis, antheris ovatis, 1-locularibus? Certè ab hoc genere, forsàn etiam ab Euphorbiaceis depellenda.

MERCURIALIS. L.-J. — *Mercuriale.*

Flores monœci aut sæpiùs dioeci. Calix 3-4-partitus. masc. Stamina 8-12 aut plura; filamentis liberis, exsertis; antherarum loculis in apice filamenti distinctis, globosis. fœm. Styli 2 breves, latiusculi, denticulati; ovarium didymum, 2-sulcum, 2-loculare, loculis 1-ovulatis. Filamenta 2 brevia, sterilia, ex imis sulcis enata et ovario adpressa. Capsula echinata tomentosave, 2-cocca.

Frutices aut sæpiùs herbæ. Folia opposita aut rariùs alterna, stipulacea, dentata subintegrave, sicca colore violaceo interdùm imbuta. Flores axillares et terminales; masculi glomerati, glomerulis spicatis, bracteatis; fœminei spicati, fasciculati aut solitarii.

Species circiter 10, pleræque europæanæ, oppositifoliæ, 2-coccæ; duæ tantùm exoticæ, altera senegalensis, altera indica, eædem alternifoliæ, sæpè 3-coccæ. — Plantæ, in Act. par. 1719, duæ steriles, masculæ, foliis alternis, capillaceis, à Marchantio memorantur tanquàm *M. annuæ* varietates hybridæ.

ANABÆNA.

Flores monœci. Calix 5-partitus. masc. Filamenta infrà coalita, squamulis 4 cincta, superiùs libera, 10 antherifera, antheris 4-lobatis, unum sterile medium apice globoso-echinatum (an styli et stigmatis rudimentum?) fœm. Stylus crassus, oblongus; stigma

trilobum, lobis extùs glandulâ scutiformi notatis ; ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus, coccis subcarinatis, integumento tenui 6-partibili vestitus ; semina angulata, ossea.

Frutex volubilis. Folia alterna, longè petiolata. Flores racemosi, axillares, fœmineus unicus, inferior, longè pedunculatus, masculi plures, cum pedunculis brevibus articulati, bracteati.

OBS. Species unica brasiliensis (in Herb. Mus. et J.). — Nomen à caule scandente. — Habitus, inflorescentia multaque alia Pluknetiæ. An duo genera in unum, charactere paulisper immutato, confundenda?

PLUKNETIA. Plum. — L.-J.

Flores monœci. Calix 4-partitus. MASC. Stamina 8 aut plura, filamentis coalitis, basi cincta glandulis 4 barbatis (ovarium abortivum ex Plum.). FŒM. Stylus longissimus, proboscideus; stigma peltatum, 4-lobum, lobis medio suprà punctatis. Capsula depressa, 4-cocca, coccis anguloso-carinatis, 2-valvibus, 1-spermis.

Frutices volubiles. Folia alterna. Flores axillares, racemosi ; fœmineus unicus inferior, masculi plures, breviùs pedunculati.

OBS. Species 3, duæ americanæ, una indica (*Sajor.* Rumph. 1. tab. 79. f. 2) quæ fructu interdùm 3-cocco. — Charact. ex Plum. (220. tab. 226), J. et W. sp.

TRAGIA. Plum. — TRAGIÆ spec. auctorum. — SCHORIGERAM Adans.

Flores monœci. MASC. Calix 3-partitus. Stamina 2-3, filamentis brevibus. FŒM. Calix 6-rariùs-5-8-partitus, laciniis interdùm pinnatifidis, persistentibus. Stylus 3-fidus ; stigmata 3. Fructus capsularis, hispidus, 3-coccus, coccis subglobosis, 2-valvibus, 1-spermis; seminibus conformibus.

Herbæ aut suffrutices, interdùm scandentes aut volubiles. Folia alterna, stipulacea, serrata lobatave aut rariùs pinnata. Flores axillares, racemosi ; in racemis, fœminei inferiores, unicus aut pauci,

longissimè pedunculati ; masculi plures brevissimè pedunculati ; omnes bracteati, bracteâ angustâ, simplici aut 2-3-partitâ. Ferè omnes plantæ partes sæpiùs hispidæ.

OBS. Species circiter 15, quarum dimidia pars ex Americâ, præsertim boreali; cæteræ indicæ, arabicæ, owarienses, capenses. Huc referenda *Acalypha pinnata*. Enc. suppl.

SECTIO V.

FLORES monœci aut diœci. Calix 2-4-sepalus-partitus-fidus-dentatusve, interdùm nullus ; præfloratio convolutiva. Petala, glandulæ et appendices o. MASC. Stamina 2-10, filamentis liberis aut variè coalitis. FŒM. Ovarium 2-3 rariùs-4-7-18-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus nunc capsularis, nunc rariùs suberosus aut carnosus, 2-3 rariùs-4-7-18-coccus, coccis distinctis aut rarissimè in unum nuciforme connatis.

Arbores aut frutices, sæpissimè lactescentes. Folia simplicia, sæpè basi 2-glandulosa. Flores, nunc sæpiùs spicatim (in Omphaleâ paniculatim) dispositi, bracteati, bracteâ plerumquè 2-glandulosâ, in masculis superioribus multiflorâ, in fœminis 1-florâ ; nunc masculi amentacei squamis staminiferis, fœminei bracteati, bracteis imbricatis.

MICROSTACHYS. — TRAGIÆ spec. L. et Valh.

Flores monœci. Calix 3-partitus. MASC. Stamina 3, filamentis brevibus. FŒM. Stylus profundè 3-partitus, reflexus; stigmata 3. Capsula glabra aut regulariter echinata, prismatico-3-cocca, coccis 2-valvibus, 1-spermis ; semina teretia.

Suffrutices, rarissimè herbæ. Folia alterna, 2-stipulacea stipulis minutissimis, argutissimè serrulata. Flores axillares aut extrà-axillares, bracteati, bracteâ 2-glandulosâ, unifloræ in fœmineis, qui solitarii, breviter pedunculati, multiflorâ in masculis, qui distichè spicati, spicis brevibus, admodùm gracilibus.

obs. Genus à Tragiâ distinctum præfloratione, calice in fœminis 3-partito, stylo 3-partito, ovarii, capsulæ seminumque formâ, inflorescentiâ, toto denique habitu; affinius Sapio et Stillingiæ. — Huc referendæ *Tragia chamelœa* L., *T. corniculata* Vahl, *T. bicornis* Vahl (Herb. J.), et quædam prætereà in herbariis inèditæ, omnes americanæ ex Antillis, Guianâ, Brasiliâ. — Nomen à spicarum tenuitate.

SAPIUM. Jacq.-J.

Flores monœci. masc. Calix bifidus. Stamina 2, filamentis exsertis, basi coalitis; antheræ adnatæ, extrorsæ. fœm. Calix 3-dentatus. Stylus brevis, 3-fidus; stigmata 3; ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus globosus, capsularis, 3-coccus; semina globosa.

Arbores lactescentes. Folia alterna, stipulacea, sæpissimè basi 2-glandulosa, integra aut serrulata, glabra, plerumque lucida. Flores, masculi in spicis terminalibus glomerati, glomerulis 1-bracteatis; fœminei inferiores in eâdem spicâ, aut rariùs ab ipsâ remoti, solitarii, axillares terminalesve, singuli bracteati. Bracteæ plerumquè basi utrinque glandulosæ.

obs. Species 10, quarum 6 americanæ, cæteræ indicæ, borbonienses aut mauritianæ. — In *S. obtusifolio* Kunth, calicis laciniæ 3 subulatæ, stamina 3, flores fœminei terminales, solitarii, sessiles. An ideò, auctore ipso monente, congener?

STILLINGIA. Garden.-L.-J.

Flores monœci. masc. Calix (corolla L.) tubulosus, limbo crenulato. Stamina 2 exserta, filamentis subliberis. fœm. Calix 3-fidus. Stylus crassus; stigmata 3 reflexa; ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus globosus, capsularis, 3-coccus.

Frutices aut arbores lactescentes. Folia alterna, obsoletè stipulacea, basi nuda et glandulosa, integra serrulatave. Florum spicæ terminales suprà masculæ, infrà fœmineæ. Bracteæ (calix L. — involucrum J.) basi utrinque glandulosæ, multifloræ in masculis, qui pedicellati, singuli bracteolati; unifloræ in fœmineis, qui crasse pedunculati multòque pauciores.

obs. Genus forsàn conjungendum Sapio, à quo vix distinctum, nisi calice in masculis crenulato, non bifido. Idem in fœminis superus, ex Linnæo. — Species 3 americanæ, quarum una (*Croton sebiferum* L.) sinensis quoque, seminibus materiâ quâdam sebosâ involutis. — In *S. ligustrinâ* Michx. calix 3-partitus, præfloratione convolutivâ, staminaque 3.

TRIADICA. Lour.

Flores diœci. Calix minimus, campanulatus, 3-4-fidus. masc. Stamina 2, filamentis planis, brevissimis, antheris bilobis. fœm. Stylus brevis, crassus; stigmata 3, oblonga, erecta. Bacca exsucca, 3-locularis, loculis 1-spermis.

Arbores. Folia alterna, integerrima, glabra. Florum amenta subterminalia, filiformia, nuda, distincta tuberculis (non-ne bracteæ basi tuberculosæ?) multifloris.

obs. Species 2, altera cochinchinensis, altera sinensis. — Charact. ex Lour. 748.

OMALANTHUS.

Flores monœci. Calix 2-sepalus, sepalis basi emarginatis, glandulosis, in fœminâ caducis. masc. Stamina 6 aut 10, filamentis brevibus, complanatis, partìm connatis; antheræ adnatæ, extrorsæ. fœm. Stylus 2-fidus; stigmata 2 glandulosa, stylo extùs quasi adnata, basi et apice biloba; ovarium oblongum, 2-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis bivalvis.

Frutices. Folia alterna, longè petiolata petiolis apice glanduliferis, integra, glabra. Flores spicati, terminales; masculi glomerati, glomerulis sæpiùs 3-floris, confertis, bracteatis bracteâ basi 2-glandulosâ; fœminei simili bracteâ instructi, longiùs pedunculati, nunc in eâdem spicâ inferiores, nunc in diversâ remoti.

obs. Species 2 ineditæ (Herb. Mus. et J.), altera javanensis et philippensis, altera è Novâ-Hollandiâ. Habitus Stillingiæ sebiferæ. — Nomen à floribus compressis. — Structura singularis endocarpii (quod non, ut in cæteris, 2-coccum coccis internè dehiscentibus, sed testaceum bivalve) iterùm examinanda, quoniam mihi in fructu unico imperfecto observata.

HIPPOMANE. L.-J. — Mancanilla. Plum.-Adans. — *Mancenillier.*

Flores monœci. masc. Calix turbinatus, bifidus. Filamentum apice 2-antheriferum, antheris adnatis, extrorsis. fœm. Calix 3-partitus. Stylus crassus, brevis; stigmata plura, sæpiùs 7, radiata; ovarii loculi totidem 1-ovulati. Fructus carnosus, lactescens, pomiformis; intùs multicoccus, coccis concretis in nucem lignosam, superficie inæqualem et sinuosam, indehiscentem, 1-spermis aut quibusdam abortivis.

Arbor lactescens. Folia alterna, stipulacea, longè petiolata, petiolo apice 1-glanduloso, subserrata, glabra, lucida, venosa. Flores, masculi in spicis terminalibus glomerati, glomerulis multifloris, alternis, stipatis bracteâ basi utrinque glandulosâ; fœminei solitarii.

obs. Species unica ex Americâ æquinoctiali.

HURA. L.-J. — *Sablier.*

Flores monœci. masc. Amentum densè multiflorum, squamis imbricatis, 1-floris. Singulis calix brevis, urceolatus, truncatus; filamentum unum, incrassatum, medio tuberculatum tuberculis duplici aut triplici ordine verticillatis, singulis subtùs antheriferis. fœm. Flos solitarius. Calix urceolatus integer, ovario arctè circumpositus aut maturatione 3-partitus. Stylus 1 longus, infundibuliformis; stigma maximum, concavo-peltatum, 12-18-radiatum. Capsula lignosa, orbiculata, depressa, 12-18-torosa, 12-18-cocca, coccis elasticè bivalvibus, 1-spermis.

Arbores lactescentes. Folia alterna, stipulacea stipulis caducis, petiolo supernè 2-glanduloso, juniora involuta. Amentum masculum simplex, longiùs pedunculatum, terminale aut ramulis axillare; flos fœmineus, solitarius, amento proximus.

obs. Species 3 americanæ. — Charact. ex J. 391; Trew, Plant. select. tab. 34-35; et Turpin Planch. du Dict. des scienc. natur.

SEBASTIANIA. Spreng.

Flores monœci. Squamæ sessiles, basi 2-glandulosæ, 1-floræ masc.

Stamina 5, filamentis discretis, squamulis acutis, subimbricatis (an pro calice habendis?) basi stipata. FŒM. Squamulæ majores; stylus crassus, brevis, 3-partitus; stigmata 3 reflexa; ovarium 3-loculare, loculis 1-spermis. Fructus capsularis.

Caulis lignosus. Folia subopposita. Flores spicati, spicis axillaribus, solitariis geminatisve, basi fœmineis, suprà masculis.

OBS. Species unica brasiliensis. — Charact. ex Sprengel (Neue Entdec. 2. 118. tab. 3). — Genus medium inter Sapium et Excæcariam.

EXCÆCARIA. L.-J. - Sw. Fl. — GYMNANTHES. Sw. prod.

Flores monœci aut dioeci. MASC. Filamentum basi simplex, mox tripartitum, ibiquè instructum squamâ sessili, simplici, interdùm glandulosâ; singulæ filamenti laciniæ squamulâ propriâ unicâ aut duplici stipatæ, nunc simplices 1-antheriferæ, nunc 2-3-fidæ, 2-3-antheriferæ. FŒM. Calix minimus, squamiformis, trifidus, interdùm nullus. Stylus crassus, brevis, 3-partitus; stigmata 3 reflexa; ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus globosus, capsularis, 3-coccus.

Arbores aut arbusculæ, quædam lactescentes. Folia alterna, exstipulacea, crenata serratave, rariùs integra, glabra. Flores : masculi amentacei, axillares, simplices aut fasciculati; fœminei, nunc ad basim amenti masculi, pauci, sessiles pedunculative, nunc in diversâ arbore laxè spicati aut racemosi, axillares aut terminales, simplices aut fasciculati, bracteis squamiformibus stipati.

OBS. Species 8 descriptæ, quarum 3 antillanæ, 2 brasilienses, 3 asiaticæ : quædam prætereà (in Herb. Mus. et J.) ineditæ è Brasiliâ et Bueynos-Ayres; sed omnes sedulò recognoscendæ in genere adhùc obscuro. — An basis filamenti simplex pro pedicello habenda; squama pro bracteâ; squamulæ pro calicibus; filamenti laciniæ 1-aut pluri-antheriferæ pro totidem floribus masculis? Quod confirmarent antheræ diverso tempore erumpentes in quibusdam speciebus mihi visæ, et generum vicinorum analogia. Prætereà squamæ in nonnullis multifloræ, ut in *E. glandulosâ* Sw. et *E. cochinchinensi* Lour. — Charact. ex sicco et ex Sw. Fl. 1119 et seq.

Non-ne congener GUSSONIA Spreng. cui, ex auctore (Neue Entdec. 2. 119.

tab. 2. fig. 8-10) : flores monœci. *Masc.* amentacei ; squama intùs glandulosa, 3-staminifera. *Fœm.* Calix 3-fidus. Stylus subnullus ; stigmata 3 reflexa ; ovarium 3-coccum. — Caulis lignosus. Folia alterna, glaberrima, suprà lucida. Flores axillares, fœminei ad basim amenti masculi, longè pedunculati ; pedunculi (columnulæ Spr. bracteis imbricatis (calix inferior squamosus Spr.) basi cincti. — Species 2 brasilienses.

COMMIA. Lour.

Flores diœci. MASC. Amentacei, squamis imbricatis, 1-floris. Calix proprius nullus. Filamentum unum breve ; anthera multilocularis (non-ne potiùs filamentum apice pluriantheriferum, antheris adnatis ?). FŒM. Racemosi ; calix 3-partitus, brevis, persistens. Styli 3 reflexi, breves ; stigmata crassiuscula. Capsula 3-loba, 3-locularis, loculis interiùs hiantibus, 1-spermis.

Arbuscula succo resinoso scatens. Folia alterna, integerrima, glabra. Amenta mascula, axillaria, brevia ; racemi fœminei subterminales, parvi, numerosi.

OBS. Species unica cochinchinensis. — Charact. ex Lour. 742.

STYLOCERAS.

Flores monœci aut diœci. MASC. Squama simplex antherifera, antheris sæpiùs 10 oblongis, inæqualibus, introrsis. FŒM. Calix brevis 3-5-partitus. Ovarium globosum, 2-aut-4-loculare, superiùs quasi bicorne, stylis 2 oblongis, incurvatis, crassis, intùs glanduloso-canaliculatis ; ovula in singulis loculis solitaria, ex apice pendula. Fructus.....

Arbores. Folia alterna, integerrima, glabra, lucida (laurocerasi). Flores axillares ; nunc in iisdem spicis solitariis geminatisve, fœmineus unicus, terminalis, masculi plures, inferiores ; nunc in diversis arboribus segregati, masculi tantùm spicati, fœminei solitarii, breviter pedunculati. Bracteæ ad basim pedunculorum multæ, imbricatæ.

OBS Species 3 ex Americâ australi ineditæ, duæ in herb. Kunth, tertia in Herb. Mus. — Nomen à formâ stylorum. — Genus à Cl. Kunth communicatum,

Euphorbiaceum floribus diclinibus, numeroque et situ seminum; Excæcariæ affine squamis antheriferis, propius tamen Triceræ et Buxo stylorum formâ et toto habitu. — Quænam fructûs et seminum structura ? In unâ specie (ex Dombey in Herb. Mus.) pericarpium edule, 4-spermum, seminibus castaneiformibus.

MAPROUNEA. Aubl.-J. — Ægopricon. L. f.-Gœrt.-W.

Flores monœci. masc. Calix 2-4-fidus. Filamentum exsertum, apice 2-antheriferum, antheris bilobis, extrorsis. fœm. Calix 3-lobus. Stylus crassus, brevis, 3-fidus; stigmata 3 reflexa; ovarium globosum, 3-loculare, loculis 3-ovulatis. Fructus capsularis, 3-coccus, coccis 2-valvibus; semina ossea, infrà scrobiculata.

Arbor. Folia alterna, integerrima, glabra, supernè lucida, venosa. Flores : masculi minutissimi, squamis interjectis, aggregati in capitula paniculata, paniculis parvis, terminalibus, singula ovata, amentiformia, basi involucrata, involucro breviori 2-partito, 2-bracteato; fœmineus unicus ad basim cujusque capituli masculi, pedunculatus, 2-bracteatus.

obs. Species unica guianensis (Aub. tab. 342). — Fructus baccatus, ex L. f.; capsularis ex Smith (Icon. exotic. ined. tab. 42), Gœrt. (2. 266. tab. 138), et in specimînibus à me observatis. Non-ne igitur congener planta è Congo Ægoprico affinis, sed discrepans præcipuè fructu capsulari (R. Br. Obs. herb. Cong. 25)?

OMPHALEA. L.-J. — Omphalandria P. Br. — Duchola. Adans.

Flores monœci. Calix 4-partitus. masc. Filamentum disco glanduloso impositum, supernè dilatatum, incrassatum, pileiforme, ambitu in lobos 2-3 fisso; antheræ 2-3, loculis distinctis, in latere cujusque lobi (connectivum) quasi immersis. fœm. Stylus brevis, crassus, in stigma obsoletè 3-lobum desinens; ovarium obtusè 3-gonum, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus carnosus, intùs 3-coccus, maturatione (ex Aubl. 841. tab. 328) 3-partibilis; semina magna, subglobosa.

Arbores aut scandentes frutices. Folia alterna, stipulacea, petio-

lata petiolo supernè 2-glanduloso, integra, crassa, nervis prominentibus subtùs reticulata. Florum paniculæ breves, in quibus fœmineus unicus terminalis, masculi plures, inferiores, bracteolati; singulæ stipulâ longissimâ 2-glandulosâ stipatæ, suprà axim communem dispositæ in paniculam unicam, magnam, ramosam, terminalem.

OBS. Species 3 guianenses et antillanæ, quarum una inedita (Herb. J.).

Huc potiùs referenda videtur HECATEA A. P. T. (Voy. 13 et 30. tab. 3), structurâ formâque staminum et pistilli omninò congener, distincta tamen calice 5-lobo et dispositione florum, quorum pedunculi pluriès aut semel dichotomi, in dichotomiis 1-flori flore fœmineo, cæteris masculis terminalibus. Folia alterna aut opposita, basi 2-glandulosa, paucinervia; bracteæ 2-glandulosæ, sub dichotomiis geminatim oppositæ. Species 2 arborescentes, madagascarienses.

SECTIO VI.

FLORES monœci in involucro communi foliaceo aut caliciformi. MASCULI plures polyandri aut monandri, calice nunc 3-4-fido aut 4-5-partito, nunc nullo. FŒMINEI 1-3, centrales aut laterales; calix nunc 3-fidus aut 6-12-partitus, nunc nullus. Styli 3 distincti aut in unum simplicem trifidumve coaliti; stigmata 1, 3 aut 6; ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus capsularis aut subcarnosus, 3-coccus.

Arbores, frutices aut herbæ, pleræque lactescentes, caule interdùm scandenti, interdùm carnoso, cactiformi. Folia alterna, simplicia, rariùs 3-5-partita, rarissimè 3-5-phylla. Pedunculi axillares 1-multiflori, aut terminales umbellati (involucris multifloris habitis pro floribus in inflorescentiâ).

DALECHAMPIA. Plum.-L.-J.-Kunth.

Flores monœci in involucro eodem pedunculato, 2-phyllo, foliaceo, basi appendiculato, appendiculis 4 stipulæformibus. MASC. Involu-

crum proprium, pedunculatum, 2-5-phyllum, multiflorum, floribus (sæpiùs 10) pedicellatis, subumbellatis. Singulis calix 4-5-partitus; præfloratio valvata; stamina numerosa, filamentis infrà connatis in stipitem brevem, pedicello continuum. Interdùm squamæ paucæ his interjectæ, plures in umbellæ latere fasciculatæ, apice pluripartitæ, resinifluæ. FŒM. Involucrum proprium, subsessile, 2-phyllum, 3-florum, floribus brevissimè pedicellatis. Calix 5-6-aut-10-12-partitus, laciniis integris, dentatis aut ciliatis. Stylus 1 oblongus; stigma simplex capitato-peltatum aut infundibuliforme; ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus calice persistente cinctus, pedicello elongato insidens, capsularis, 3-coccus, coccis globosis.

Frutices scandentes et volubiles. Folia alterna, longè petiolata, petiolo infrà 2-stipulaceo, nunc subintegra, nunc 3-5-lobata aut etiam 3-5-phylla, limbo 3-5-nervi, ad basim 2-appendiculato. Pedunculi axillares, sæpiùs bracteati, bracteis stipulæformibus. Omnes partes plerumquè hispidæ

OBS. Species circiter 20 ab auctoribus descriptæ, omnes ex Americâ æquinoctiali, præter unam tamen indicam, et alteram sinensem. Duæ prætereà ineditæ, altera senegalensis (Herb. J.), altera capensis (Herb. Mus. et Kunth.) — Foliola involucri vera folia sunt in extremis ramis subopposita, caulinorum instar integra lobatave, limbo 3-5-nervi, ad basim 2-appendiculato, petiolo 2-stipulaceo. Hinc inflorescentia minùs à cæteris Euphorbiaceis plerisque recedens.

ANTHOSTEMA.

Flores monœci, masculi plures, fœmineus unicus lateralis, in eodem involucro profundè 2-lobo, lobis intùs glandulâ minutâ instructis. MASC. Involucrum proprium, multilobum, lobis (circiter 8) inter se dissimilibus. Pedicelli numerosi, receptaculo plano impositi, inæquales, fasciculati, bracteis paleaceis interjectis; singuli superiùs articulati cum filamento, quod basi caliculatum caliculo 3-4-fido, apice 1-antheriferum. FŒM. Calix campanulatus, 3-4-dentatus, infrà pedunculo incrassato continuus. Stylus crassus, brevis, 3-fidus; stig-

mata 3 subbiloba ; ovarium 3-loculare , loculis 1-ovulatis. Fructus carnosus , 3-coccus.

Arbor lactescens. Folia alterna , integra , glabra , venosa. Pedunculi axillares, multiflori , ramosi , ad divisuras articulati.

OBS. Species unica senegalensis (in Herb. J.) — Nomen à staminibus singulis florem masculum constituentibus.

EUPHORBIA. L.-J.—TITHYMALUS.T.-Adans.—EUPHORBIUM. Isnard. — *Euphorbe.*

Flores monœci in eodem involucro , fœmineus unicus centralis , masculi plures ambientes. Involucrum commune (calix L.) regulare , aut sæpiùs irregulare hinc fissum , campanulato-turbinatum , 4-5-fidum , laciniis integris fimbriatisve aut multipartitis , erectis aut inflexis ; quibus exteriores appendices (petala L.) nunc totidem alternæ , nunc pauciores , carnosæ , glandulosæ aut petaloïdeæ , integræ bicornesve aut rariùs plurifidæ , patentes aut reflexæ. MASC. Pedicelli plures , singuli cum filamento apice 1-antherifero articulati (stamina floris unici polyandri. T.-L.) , plerumquè infrà distincti bracteis interjectis paleaceis squamuliformibusve (petala floris unici hermaphroditi. Adans. — Calices florum distinctorum ? J.). FOEM. Pistillum longiùs pedunculatum , basi nudum aut rariùs caliculatum , caliculo integro trifidove. Styli 3 bifidi , rariùs connati in unum apice 3-fidum ; stigmata 6 , rariùs 3 biloba ; ovarium 3-loculare , loculis-ovulatis. Fructus capsularis , pedunculo elongato insidens et eodem deflexo nutans , lævis aut verrucosus , glaber aut pilosus , 3-coccus, coccis elasticè bivalvibus , deciduis.

Plantæ lactescentes , herbaceæ aut fruticosæ , erectæ aut rariùs repentes , habitu admodùm vario. Etenim : caulis ; nunc carnosus (in *Euphorbio* Isn.) cactiformis , angulatus , aculeis solitariis geminatisve , serie simplici in angulorum jugo superpositis , aut tuberculatus ; nunc sæpissimè (in *Tithymalo* T.) teres , ramosus. Folia in paucis nulla , in plurimis alterna , nuda , aut rariùs opposita et

tunc plerumquè stipulacea, aut rarissimè terna verticillata. Involucra multiflora in inflorescentiâ pro floribus simplicibus habita, pedunculata. Pedunculi, in carnosis subaphyllis, brevissimi, 1-3-flori, nudi; in foliosis, nunc axillares, nunc sæpiùs terminales, 2-5-pluresve umbellati, singuli interdùm capitato-multiflori, plerumquè 2-3-4-chotomi, inter divisuras 1-flori. Umbellæ et umbellulæ basi cinctæ foliis (bracteæ auct.) numero pedunculorum et pedicellorum verticillatis, involucra et involucella polyphylla mentientibus.

obs. Genus à plerisque olim pro hermaphrodito habitum, nunc rectiùs inter monoïca adnumeratum, staminum veram singularemque naturam primò indicantibus Jussieu (Gen. 386) et Lamarck (Enc.), posteriùs perfectè describentibus R. Brown (Gen. rem. 24) et Kunth (Nov. gen.). Quod confirmant generum ejusdem ordinis omnium, et præsertim vicinorum, analogia, staminum diverso tempore erumpentium filamenta articulata, paleæ interjectæ, caliculus sub pistillo in nonnullis observatus, idem filamentis subjectus in genere inedito R. Br. (loc. cit.), et in Anthostemate. — Interdùm, sed rariùs, involucra abortu tantùm mascula.

Species circiter 300 ab auctoribus enumeratæ. — 100 europæanæ, quarum plures ex australibus atque orientalibus plagis. Tantus profectò respectivus specierum Europæ numerus, quia regio multò magis botanicis indagata et cognita. — Asiaticæ, præter multas cum Europâ orientali communes, 30, pleræque indicæ. — Africanæ circiter 70, quarum 30 capenses; cæteræ ex Africâ boreali aut æquinoctiali, aut ex insulis. — Americanæ 70 quoque, quarum dimidia pars ex Americâ boreali, dimidiâ ex australi, pleræque tamen sub tropicis. — Paucæ è Novâ-Hollandiâ atque Oceani australis insulis. — Præterea specimina multa in herbariis innominata, multa profectò inedita; sed ex his nonnisi circumspectè instituendæ novæ species, synonymiâ generis jàm nimiùm dubiâ atque intricatâ, et monographum severiorem reposcente.

Habitus et structura cum climatibus variant. Pleræque Euphorbiæ boreales herbaceæ; australes frutescentes, magis succulentæ: in regionibus calidioribus omninò carnosæ.

Haworth (Synops. plant succul. 126-164) Euphorbiæ species 114 in generibus 8 (*Euphorbia*, *Treïsia*, *Dactylanthes*, *Medusea*, *Tithymalus*, *Galarhœus*, *Esula*, *Anisophyllum*) quibusdam, ex ipso, recognoscendis, distribuit, ex partium calicinarum (id est involucri) numero, formâ et naturâ, palearum præsentiâ aut defectu, florum dispositione, caulis structurâ.

Necker (1153. 54. 55. 57.) ex Euphorbiis linnæanis instituit plura genera (*Euphorbia*, *Keraselma*, *Athymalus*, *Tithymalus*.), habitâ involucri appendicum ratione.

Ad Tithymalum T. referuntur *Pithyusa* Lob., *Chamæsice*, *Lathyris*, *Peplus* C. B., *Peplis* Clus.

PEDILANTHUS. Neck. - Poit. - Kunth. — Tithymaloïdes. T. — Crepidaria. Haw. — Euphorbiæ spec. L. et Jacq.

Flores monœci in eodem involucro, fœmineus unicus, centralis, masculi plures ambientes. Involucrum calceiforme, superiùs coarctatum, basi ventricosum et intùs glanduliferum, hinc hians atque auctum laciniâ fornicata faucem obcludente. Stylus unicus; stigmata 3 bifida. Cætera ut in Euphorbiâ.

Frutices lactescentes, ramosi, inermes. Folia alterna, integra, subcarnosa, breviter petiolata petiolo ad basim utrinque glanduloso. Pedunculi plures, terminales, foliis bracteiformibus stipati, singuli florem (id est involucrum) unicum rubrum sustinentes.

obs. Species 3, duæ antillanæ, tertia indica : quibus consocianda *Euphorbia bracteata* Jacq. (Hort. sch. tab. 270) et forsàn quoque *E. cordellata* Haw. (Misc. nat.). — Charact. ex Poiteau (Ann. Mus. 19. 388. tab. 19) et Kunth (2. 63.)

GENERA EUPHORBIACEA MINUS COGNITA.

MARGARITARIA. L. f.

Flores diœci. Calix 4-dentatus. Petala 4 calici inserta. masc. Stamina 8 receptaculo imposita; filamentis setaceis, longioribus; antheris subrotundis, parvis. Ovarii rudimentum 1-stylum. fœm. Styli 4-5 filiformes; stigmata simplicia. Fructus globosus, sub integumento baccato, cartilagineo, 4-5-coccus, coccis nitidissimis, 2-valvibus.

obs. Species unica surinamensis. — Charact. ex L. suppl.

Genus valdè obscurum et imperfectum. An rami masculi (quibus folia opposita *Evonymo* similia; flores paniculati, numerosissimi, ut in *Spiræâ aruncо*)

et fœminei (quibus folia semper alterna, flores solitarii axillares) verè inter se conspecifici aut etiam congeneres, auctore ipso dubitante ? — An ovarium in masculis sterile? An loculi in fœminis 1-aut 2-spermi ? — In specimine fœmineo Herbarii Candoll. , folia alterna , 2-stipulacea, flores axillares, pedicellati, geminati ternative , bracteati ; calix 4-sepalus, post anthesim reflexus, persistens ; styli 4-6 , bifidi ; fructus 4-6-coccus , coccis lucidis , 2-spermis. Genus Ciccæ admodùm accedit ex hâc descriptione à *D. Choisy* communicatâ, idcòque omni fide dignâ , sed non omninò cum characteribus Linnæi f. concordante.

SUREGADA. Roxb.

Flores diœci. Calix 5-sepalus. MASC. Stamina plurima, filamentis linearibus, antheris ovatis , erectis. FŒM. Stylus 0 ; stigmata 3 bipartita ; ovarium ovoïdeum sexangulare. Capsula 3-cocca, coccis sæpissimè 1-spermis.

Arbor. Folia alterna, integerrima, glabra, venosa. Flores brevissimè pedunculati, foliis oppositi.

OBS. Species unica ex Madras. — Charact. ex W. (Act. soc. cur. nat. berol. 4. 206.) — An quædam affinitas cum Gelonio ?

HEXADICA. Lour.

Flores monœci. MASC. Calix 5-partitus , patens. Petala 5. Stamina 5, filamentis brevioribus, antheris bilobis, erectis. FŒM. Calix 6-partitus, persistens. Petala 0. Stigmata 6 sessilia, concava, conniventia. Capsula globosa, 6-valvis , 6-locularis , loculis 1-spermis.

Arbor. Folia alterna, integerrima, glabra. Flores fasciculati , subterminales , masculi et fœminei in diversis ramis.

OBS. Species unica cochinchinensis. — Charact. ex Lour. 617. — An affinis Glochidio aut quibusdam aliis generibus Phyllantho propioribus ?

HOMONOIA. Lour.

Flores diœci. MASC. Calix 3-partitus , basi extùs 3-squamosus. Corolla 0. Stamina numerosissima (circiter 200), filamentis in fasci-

culos 20 connexis, antheris subrotundis. FŒM. Squama simplex, acuta, multifida. Calix, corolla et stylus o. Stigmata 3, villosa, oblonga. Capsula 3-loba, 3-locularis, loculis 1-spermis, 3-valvis.

Arbuscula. Folia alterna, angusta, integerrima, tomentosa. Flores minuti, amentiformes, amentis subterminalibus, linearibus.

OBS. Species unica cochinchinensis. — Charact. ex Lour. (782). — An genus floribus amentaceis, interdùm nudis, *Excœcariæ* affine? Non-ne staminibus polyadelphis et quibusdam aliis characteribus *Ricinis*, et præcipuè *Crotoni salicifolio* propiùs accedit?

CLADODES. Lour.

Flores monœci. Calix 4-partitus. Corolla o. MASC. Stamina 8, filamentis membranaceis, brevibus, antheris subrotundis. FŒM. Stylus o; stigmata 3 oblonga, reflexa. Capsula subglobosa, 3-loba, 3-locularis, loculîs 1-spermis, 3-válvis.

Arbuscula ramosissima. Folia alterna, serrata, glabra, rugosa. Flores racemoso-spicati, terminales.

OBS. Species unica cochinchinensis. Charact. ex Lour. 703. — An affinis Alchorneæ?

ECHINUS. Lour.

Flores diœci. MASC. Calix squamiformis apice inæqualiter multifidus. Corolla o. Stamina circiter 30 calice breviora, filamentis capillaribus, antheris subrotundis, minimis. FŒM. Calix 5-6-fidus, laciniis inæqualibus, patentibus. Corolla o. Styli 2 pilosi, breves; stigmata simplicia; ovarium bilobum. Capsula villis subulatis, setosis echinata (undè nomen), 2-cocca, coccis subglobosis, 1-spermis.

Arbuscula caule declinato. Folia sparsa, integerrima, ovata tricuspidatave, reticulato-venosa. Pedunculi laterales pauciflori.

OBS. Species unica cochinchinensis. — Charact. ex Lour. 777, qui hùc dubiè revocat *Ulassium* Rumph. (3. 42. tab. 23) arborem ingentem, foliis oppositis aut 4-verticillatis, fructu pisiformi 1-spermo. — An quædam affinitas cum Mappâ?

COLLIGUAYA. Molin.

Flores monœci. Calix 4-fidus. Corolla o. MASC. Stamina 8. FŒM. Styli 3; capsula 3-gona, 3-sperma, elasticè dehiscens.

Frutex ramosus. Folia opposita, crassa, glabra, denticulata. Flores axillares, masculi amentacei, fœminei infrà siti.

OBS. Species unica chilensis. — Charact. ex Molina Hist. nat. du Chili. 129. — Genus non procul à Sapio?

LASCADIUM. Raf.

Flores monœci. Calix limbo integer. Corolla o. MASC. Stamina circiter 12, filamentis brevibus, antheris crassis. FŒM. Styli 3 partiti; ovarium 3-lobum. Capsula ovata, lævis, 3-sperma.

Frutex, totus lanatus, ramosus. Folia alterna, longè petiolata. Flores terminales, masculi plures umbellati, circa fœmineum centralem.

OBS. Species unica ludoviciana. — Charact. ex Rafinesque Fl. Ludov. 114. — Genus, ex ipso, Euphorbiaceum : sed quænam fructûs et seminis structura?

SYNZYGANTHERA. R. P. — DIDYMANDRA. W.

Flores monœci. Calix inferus, brevis, 4-partitus. Petala 4 alterna, minuta. MASC. Filamentum apice bifidum et 2-antheriferum, hinc insertum sub ovario 3-stylo, sterili. FŒM. Styli 3 brevissimi; stigmata acuta. Bacca stipitata, ovata, exsucca, 3-locularis, loculis 1-spermis.

Frutex. Flores amentacei, in amentis distincti bracteis squamiformibus, masculi mixti fœmineis, quarum 2-4-adolescunt. Bacca abortu interdùm 1-sperma.

OBS. Species unica peruviana. — Charact. ex R. P. (Prod. 125. tab. 30.). — Ex Willdenow, flores omninò hermaphroditi, fœmineis mixti. — An genus verè Euphorbiaceum?

CONSPECTUS GENERUM (1).

I. Loculi 2-ovulati. Stamina definita, sub pistilli rudimento centrali, sessili, inserta.

Drypetes. Fl. diœci, fasciculati. Calix 4-6-partitus. ♂. Stamina 4-6 disco inserta. ♀. Styli et stigmata 1-2. Ovarium 1-2-loculare. Fructus drupæformis 1-2-spermus.

Thecacoris. Fl. diœci?, subracemosi. Calix 5-6-partitus. ♂. Stamina 5, loculis antherarum distinctis. ♀. Styli et stigmata 3. Ovarium 3-loculare. Fructus....

Pachysandra. Fl. monœci, spicati. Calix 4-sepalus, bracteatus. ♂. Stamina 4, filamentis dilatatis. ♀. Styli et stigmata 3. Capsula 3-cornis, 3-cocca, 6-sperma.

Buxus. Fl. monœci, glomerati aut (in *Tricerâ*) racemosi. Calix 4-sepalus, bracteatus. ♂. Stamina 4. ♀. Styli et stigmata 3. Capsula 3-cornis, 3-cocca, 6-sperma.

Securinega. Fl. diœci. Calix 5-6-partitus. ♂. Glomerati. Stamina 5-6. ♀. Fasciculati. Styli subnulli. Stigmata 3 reflexa. Capsula 3-locularis, 6-sperma.

Savia. Fl. diœci. Calix 5-partitus. Petala 3-5 aut 0. ♂. Glomerati. Stamina 5. ♀. Solitarii. Styli 3 bifidi. Capsula 3-cocca, 3-sperma.

Amanoa. Fl. monœci aut diœci, glomerati. Calix 5-partitus. ♂. Stamina 5. ♀. Stigmata 3. Capsula 3-cocca, 3-sperma.

Richeria. Fl. diœci, spicati. Calix 4-5-partitus. Petala 4-5. ♂. Sta-

---

(1) Conspectum hunc subjunxi, quo uti liceat veluti tabulâ breviùs enumerante præcipuos sectionum et generum characteres. Sed horum, ut necesse erat, multi omissi, cæteri mutilati, descriptionesque minimè principiis methodi naturalis convenientes.

mina 4-5. ♀. Stylus 1. Stigmata 3 revoluta. Capsula corticata, 3-locularis, 3-sperma.

Fluggea. Fl. diœci, fasciculati. Calix 5-partitus. ♂. Stamina 5. ♀. Stylus 0. Stigmata 2-3 reflexa, biloba. Capsula subbaccata, 2-3-locularis, 4-6-sperma.

II. Loculi 2-ovulati. Stamina definita centro floris inserta. Flores glomerati, fasciculati aut subsolitarii.

Epistylium. Fl. monœci. ♂. Calix 4-partitus. Filamentum apice incrassatum, 2-antheriferum. ♀ Calix 5-partitus. Stylus subnullus. Stigmata 3, biloba. Capsula 3-locularis, 3-6-sperma.

Gynoon. Fl. monœci. ♂ Calix 5-partitus. Stamina 3 basi coalita. ♀. Calix 6-partitus. Stigmata 3 connata in massam ovoïdeam, magnam. Ovarium 3-loculare. Fructus. . . .

Glochidion. Fl. monœci aut diœci. Calix 6-partitus. ♂. Stamina 3-6 coalita. ♀. Stylus subnullus. Stigmata 6. Capsula depressa, umbilicata, 6-cocca, 12-sperma. Semina fenestrata.

Anisonema. Fl. monœci. Calix 4-6-partitus. ♂. Stamina 5, filamentis inæqualibus infrà coalitis. ♀. Styli 0. Stigmata 6-10. Capsula depressa, umbilicata, 6-10-locularis, 12-20-sperma.

Leptonema. Fl. diœci. Calix 5-partitus. ♂. Stamina 5-6, filamentis tenuissimis, loculis antherarum distinctis. ♀. Styli 3-5 profundè bipartiti. Capsula depressa, 3-5-cocca, 6-10-sperma.

Cicca. Fl. monœci aut diœci. Calix 4-partitus. ♂. Stamina 4. ♀. Styli 4-5 bifidi. Capsula subcarnosa, 4-5-cocca, 8-10 sperma.

Emblica. Fl. monœci. Calix 6-partitus. ♂. Stamina 3 coalita. ♀. Styli 3 dichotomi. Fructus carnosus, 3-coccus, 6-spermus.

Kirganelia. Fl. monœci. Calix 5-6-partitus. ♂. Stamina 5 filamentis inæqualibus, coalitis. ♀. Styli 3 bipartiti. Bacca 3-locularis, 6-sperma.

Phyllanthus. Fl. monœci aut diœci. Calix 5-6-partitus. ♂ Sta-

mina 3, rariùs plura, infrà connata. ♀. Styli 3 bifidi. Capsula 3-cocca, 6-sperma.

Xylophylla. Fl. monœci, ad crenulas ramulorum folia simulantium. ♂. Stamina 2-3 connata. ♀. Styli 3. Stigmata lacera. Capsula 3-cocca, 6-sperma.

Menarda. Fl. monœci. Calix 5-partitus. ♂. Stamina 5. ♀. Styli 3 bipartiti. Capsula 3-cocca, 6-sperma.

Micranthea. Fl. monœci. ♂. Calix 6-sepalus. Stamina 3 circa discum glandulosum. ♀. Calix 6-partitus. Styli et stigmata 3. Capsula 3-cocca, 6-sperma.

Agyneia. Fl. monœci. ♂. Calix 6-partitus, intùs disco membranaceo 6-lobo vestitus. Filamentum columnare 3-antheriferum. ♀. Calix 6-partitus. Styli 3 bifidi. Capsula 3-locularis, 6-sperma.

Andrachne. Fl. monœci. Calix 5-partitus. Petala 5 aut 0. ♂. Stamina 5 connata in stipitem pistilli abortivi. ♀. Styli 3 bifidi. Capsula 3-cocca, 6-sperma.

Cluytia. Fl. diœci. Calix 5-partitus. Petala 5. ♂. Stamina 5 connata in stipitem pistilli abortivi. ♀. Styli 3 bifidi. Capsula 3-locularis, 3-sperma.

Briedelia. Fl. monœci. Calix 5-fidus. Petala 5 minuta. ♂. Stamins 5 connata in pistilli abortivi stipitem impositum disco basim calicis vestienti. ♀. Styli 3 bifidi. Ovarium tubo 5-fido involutum. Fructus carnosus, 2-locularis, 2-4-spermus.

III. Loculi 1-ovulati. Flores, staminibus definitis aut indefinitis sæpè corollati, fasciculati, spicati, racemosi aut paniculati.

Argythamnia. Fl. monœci. ♂. Calix 4-partitus. Petala 4. Stamina 4, sub pistilli rudimento infrà coalita. ♀. Calix 5-partitus. Petala 0 Styli 3 bis bifidi. Stigmata lacera. Capsula 3-cocca.

Ditaxis. Fl. monœci. Calix 5-partitus. Petala 5. ♂. Stamina 10.

filamentis inæqualibus, connatis in stipitem pistilli abortivi ♀. Stylus 3-fidus. Stigmata 6. Capsula 3-cocca.

Crozophora. Fl. monœci. ♂. Calix 5-partitus. Petala 5. Stamina 5-10. filamentis inæqualibus, connatis. ♀. Calix 10-partitus. Petala 0. Styli 3 bifidi. Capsula 3-cocca.

Croton. Fl. monœci aut rarissimè diœci. Calix 5-partitus. ♂. Petala 5. Stamina 10 aut plura libera. ♀. Petala 0. Styli 3 bifidi pluripartitive. Capsula 3-cocca.

Crotonopsis. Fl. monœci. Calix 5-partitus. ♂. Petala 5. Stamina 5 libera. ♀. Petala 0. Stigmata 3 biloba. Capsula 1-locularis.

Adelia. Fl. diœci. Calix 5-6-partitus. Petala 0. ♂. Stamina plurima basi coalita. ♀. Stigmata 3 sessilia, lacera. Capsula 3-cocca.

Acidoton. Fl. monœci aut diœci. ♂. Calix 5-partitus. Petala 0. Stamina plurima, receptaculo globoso inserta. ♀. Stylus 3-fidus. Stigmata 3. Capsula 3-cocca.

Rottlera. Fl. diœci aut? monœci. Calix 3-5-partitus. Petala 0. ♂. Stamina plurima receptaculo inserta. ♀. Styli 2-3 plumosi. Capsula 2-3-cocca.

Codiæum. Fl. monœci. ♂. Calix 5-partitus. Petala 5 squamiformia. Stamina plurima. ♀. Calix 5-fidus. Petala 0. Styli et stigmata 3. Fructus subcarnosus, 3-coccus.

Gelonium. Fl. diœci. Calix 5-partitus. Petala 0. ♂. Stamina 12 aut plura. ♀. Stigmata 2-3 lacera. Capsula 2-3-cocca.

Hisingera. Fl. diœci. ♂. Calix 4-sepalus. Petala 0. Stamina 15-25. ♀. Calix 6-sepalus. Petala 0. Styli 2. Stigmata capitato-depressa. Bacca 2-locularis.

Mozinna. Fl. diœci. Calix 5-partitus. Corolla urceolata, 5-loba. ♂. Stamina 8-13, filamentis inæqualibus, infrà coalitis. ♀. Stylus bifidus. Stigmata 2-4. Capsula 2-cocca.

Amperea. Fl. monœci aut? diœci. ♂. Calix campanulatus, 4-5-fidus.

Petala 0. Stamina 8, filamentis inæqualibus, liberis, loculis antherarum distinctis. ♀. Calix 5-partitus. Petala 0. Stigmata 3-bifida, acuta. Capsula 3-cocca.

Ricinocarpos. Fl. monœci. Calix 5-partitus. Petala 5. ♂. Stamina plurima, filamentis infrà in stipitem unicum coalitis. ♀. Styli 3 bipartiti. Capsula 3-locularis.

Ricinus. Fl. monœci. Calix 3-5-partitus. Petala 0. ♂. Stamina plurima, filamentis connatis in stipites plures ramosos, loculis antherarum distinctis. ♀. Stylus 1. Stigmata 3 bipartita, plumosa. Capsula 3-cocca.

Janipha. Fl. monœci. Calix campanulatus, 5-partitus. Petala 0. ♂. Stamina 10, filamentis inæqualibus, liberis, circa discum insertis. ♀. Stylus 1. Stigmata 3 in massam rugosam connata. Capsula 3-cocca.

Jatropha. Fl. monœci. Calix 5-partitus-lobusve. Corolla 5-partita aut 0. ♂. Stamina 8-10, filamentis inæqualibus, coalitis. ♀. Styli 2 bifidi dichotomive. Capsula 3-cocca.

Elæococca. Fl. monœci aut? dioici. Calix 2-3-partitus. Petala 5. ♂. Stamina 10-12, filamentis inæqualibus, coalitis. ♀. Stigmata 3-5. Fructus carnosus, 3-5-coccus.

Aleurites. Fl. monœci. Calix 2-3-partitus. Petala 5. ♂. Stamina plurima, filamentis inæqualibus, connatis. ♀. Styli 2 bipartiti. Ovarium tubo conformi involutum. Fructus carnosus, 2-coccus.

Anda. Fl. monœci. Calix campanulatus, 5-dentatus. Petala 5. ♂. Stamina 8, filamentis inæqualibus infrà coalitis. ♀. Stylus bifidus, stigmata 2. Fructus carnosus, fœtus putamine osseo 2-fenestrato, 2-loculari.

Siphonia. Fl. monœci. Calix 5-fidus-partitusve. Petala 0. ♂. Columna sub apice 5-10 antherifera. ♀. Stigmata 3 biloba. Fructus subcarnosus, 3-coccus.

Mabea. Fl. monœci. ♂. Calix 5-dentatus. Petala 0. Stamina 9-12.

♀. Calix 5-6-fidus. Petala o. Stylus 3-fidus. Stigmata 3 filiformia Capsula 3-cocca.

Hyænanche. Fl. diœci. ♂. Calix 5-7-sepalus. Petala o. Stamina 10-30. ♀. Calix polysepalus. Styli 2-4. Stigmata 4 fimbriata. Fructus suberosus, 4-coccus, 8-spermus.

Garcia. Fl. monœci. Calix 3-partitus. Petala 7-11. ♂. Stamina plurima, receptaculo hemisphærico inserta. ♀. Stylus 1. Stigma 3-lobum. Capsula 3-cocca.

IV. Loculi 1-ovulati. Flores, staminibus definitis aut indefinitis, apetali, glomerato-spicati aut rariùs subracemosi.

Alchornea. Fl. diœci. ♂. Calix 2-5-partitus. Stamina 8, filamentis in annulum infrà coalitis. ♀. Calix 3-5-dentatus. Stylus bipartitus. Stigmata 2. Capsula baccata, 2-cocca.

Conceveïbum. Fl. diœci. ♂. Calix 3-partitus. Stamina 3-4 basi coalita. ♀. Calix 5-fidus. Styli 3. Stigmata plumosa. Capsula 3-cocca.

Claoxylon. Fl. diœci. Calix 3-4-partitus. ♂. Stamina 15 aut plura, loculis antherarum distinctis. ♀. Appendices 3. Styli 2-3 breves, plumosi. Capsula 2-3-cocca.

Macaranga. Fl. diœci. ♂. Calix 4-partitus. Stamina 8-12. ♀. Calix urceolatus. Stylus liguliformis. Stigma villosum. Fructus follicularis, (abortu) 1-locularis.

Mappa. Fl. monœci aut diœci. ♂. Calix 3-partitus. Stamina 3-10. ♀. Calix 2-3-fidus. Styli 2-3 oblongi, plumosi. Capsula 2-3-cocca.

Caturus. Fl. diœci. ♂. Calix 3-fidus. Stamina 3. ♀. Calix 3-partitus. Styli 3 laciniati. Capsula 3-cocca.

Acalypha. Fl. monœci aut diœci. ♂. Calix 4-partitus. Stamina 8-16, loculis antherarum distinctis, vermiformibus. ♀. Calix 3-partitus. Styli 3-laciniati. Capsula 3-cocca.

Mercurialis. Fl. monœci aut diœci. Calix 3-partitus ♂. Stamina 8-12 aut plura, loculis antherarum distinctis, globosis. ♀. Styli 2 breves, denticulati. Capsula 2-cocca.

Anabæna. Fl. monœci. Calix 5-partitus. ♂. Stamina 10 basi connata in stipitem squamulis 4 cinctum. ♂. Stylus oblongus, proboscideus. Stigma 3-lobum. Capsula 3-cocca.

Plukenetia. Fl. monœci. Calix 4-partitus. ♂. Stamina 8, basi connata in stipitem glandulis 4 barbatis cinctum. ♀. Stylus oblongus, proboscideus. Stigma peltatum, 4-lobum. Capsula 4-cocca.

Tragia. Fl. monœci. ♂. Calix 3-partitus. Stamina 2-3. ♀. Calix 5-8-partitus. Stylus 3-fidus. Capsula 3-cocca.

V. Loculi 1-ovulati. Flores, staminibus definitis, apetali. Bracteæ magnæ, multifloræ, spicatæ, aut amenta.

Microstachys. Fl. monœci. Calix 3-partitus. ♂. Stamina 3. ♀. Stylus 3-partitus. Capsula 3-cocca.

Sapium. Fl. monœci. ♂. Calix 2-fidus. Stamina 2. ♀. Calix 3-dentatus. Stylus 3-fidus. Capsula 3-cocca.

Stillingia. Fl. monœci. ♂. Calix tubulosus, dentatus. Stamina 2. ♀. Calix 3-fidus. Stylus 3-fidus. Capsula 3-cocca.

Triadica. Fl. diœci. Calix campanulatus 3-4-fidus. ♂. Stamina 2. ♀. Stylus 1. Stigmata 3. Bacca exsucca, 3-locularis.

Omalanthus. Fl. monœci. Calix 2-sepalus. ♂. Stamina 6-10, filamentis connatis. ♀. Stylus bifidus. Stigmata 2. Capsula 2-locularis.

Hippomane. Fl. monœci. ♂. Calix turbinatus, 2-fidus. Stamina 2. ♀. Calix 3-partitus. Stylus 1. Stigmata 7. Fructus carnosus fœtus nuce 7-loculari.

Hura. Fl. monœci, amentacei. ♂. Calix truncatus. Filamentum columnare pluriantheriferum. ♀. Stylus 1. Stigma 12-18-radiatum. Capsula 12-18-cocca.

Sebastiania. Fl. monœci, amentacei. Squamæ 1-floræ, squamulis intùs instructæ. ♂. Stamina 5. ♀. Stylus 3-partitus. Capsula 3-locularis.

Excæcaria. Fl. monœci aut diœci, amentacei. ♂. Squamæ stami-

niferæ. Filamenta 3 basi coalita, simplicia aut partita. ♀. Calix 3-fidus aut o. Stylus 3-partitus. Capsula 3-cocca.

Commia. Fl. diœci. ♂. Amentacei. Squamæ staminiferæ. Filamentum unicum, pluriantheriferum. ♀. Racemosi. Calix 3-partitus. Styli 3. Capsula 3-loba.

Styloceras. Fl. monœci aut diœci. ♂. Squamæ 10-antheriferæ. ♀. Calix 3-5-partitus. Styli 2. Fructus 2-4-locularis.

Maprounea. Fl. monœci. ♂. Calix 2-4-fidus. Filamentum 2-antheriferum. ♀. Calix 3-lobus. Stylus 3-fidus. Capsula 3-cocca.

Omphalea. Fl. monœci. Calix 4-partitus. ♂. Filamentum suprà pileiforme, in ambitu 2-3-antheriferum. ♀. Stylus 1. Stigma subtrilobum. Fructus carnosus, 3-coccus.

VI. Loculi 1-ovulati. Flores apetali, monœci in involucro communi.

Dalechampia. Involucrum commune foliaceum, 2-phyllum, 4-appendiculatum. ♂. Involucrum proprium 2-5-phyllum, multiflorum, floribus stipitatis. Calix 4-5-partitus. Stamina plura infrà connata. ♀. Involucrum proprium 2-phyllum, 3-florum. Calix 5-6 aut 10-12-partitus. Stylus et stigma 1. Capsula 3-cocca.

Anthostema. Involucrum commune 2-partitum. ♂. Involucrum proprium multilobum, multiflorum. Pedicelli receptaculo, bracteis interjectis, impositi, singuli articulati cum filamento caliculato, 1-antherifero. ♀. Unicus lateralis. Calix 3-dentatus. Stylus 3-fidus. Stigmata 3. Fructus 3-coccus.

Euphorbia. Involucrum commune, caliciforme. ♂. Plures ambientes. Pedicelli, bracteis infrà interjectis, singuli articulati cum filamento nudo, 1-antherifero. ♀. Unicus centralis. Calix brevissimus aut o. Styli 3 bifidi. Capsula 3-cocca.

Pedilanthus. Involucrum commune, calceiforme. ♂. Plures ambientes. Pedicelli, bracteis stipati, singuli articulati cum filamento

nudo, 1-antherifero. ♀. Unicus centralis. Calix o. Stylus 1. Stigmata 3. Capsula 3-cocca.

VII. Genera minùs cognita.

Margaritaria. Fl. diœci. Calix 4-dentatus. Petala 4. ♂. Stamina 8. Ovarii rudimentum. ♀. Styli et stigmata 4-5. Fructus subbaccatus, 4-5-coccus.

Suregada. Fl. diœci. Calix 5-sepalus. ♂. Stamina plurima. ♀. Stylus o. Stigmata 3 bipartita. Capsula 3-cocca, 3-sperma.

Hexadica. Fl. monœci. ♂. Calix 5-partitus. Petala 5. Stamina 5. ♀. Calix 6-partitus. Petala et stylus o. Stigmata 6. Capsula 6-locularis, 6-sperma.

Homonoïa. Fl. diœci. ♂. Calix 3-partitus, extùs 3-squamosus. Corolla o. Stamina indefinita, polyadelpha. ♀. Squama simplex. Calix, corolla et stylus o. Stigmata 3. Capsula 3-loba, 3-sperma.

Cladodes. Fl. monœci. Calix 4-partitus. Corolla o. ♂. Stamina 8. ♀. Stylus o. Stigmata 3. Capsula 3-loba, 3-sperma.

Echinus. Fl. diœci. ♂. Calix squamiformis, multifidus. Corolla o. Stamina 30. ♀. Calix 5-6-fidus. Corolla o. Styli et stigmata 2. Capsula echinata, 2-cocca, 2-sperma.

Colliguaya. Fl. monœci. Calix 4-fidus. Corolla o. ♂. Stamina 8. ♀. Styli 3. Capsula 3-gona, 3-sperma.

Lascadium. Fl. monœci. Calix integer. Corolla o. ♂. Stamina 12. ♀. Styli 3-partiti. Capsula 3-loba, 3-sperma.

Synzyganthera. Fl. monœci. Calix 4-partitus. Petala 4. ♂. Filamentum 2-antheriferum. Pistilii rudimentum. ♀. Styli et stigmata 3. Bacca 3-locularis, 3-sperma.

INDEX

PARTIS BOTANICÆ.

Character ordinis..... 10
Sectio prima..... 11
secunda..... 17
tertia..... 26
quarta..... 41
quinta..... 48
sexta..... 55
Genera minùs cognita..... 59
Conspectus generum..... 63

PARS SECUNDA,

seu MEDICA.

Quod in ordinibus plerisque verè naturalibus, hoc maximè in Euphorbiaceis observatur, medicarum scilicet virium convenientia : adeòque manifesta est, ut eam senserint veteriores etiam botanici, qui primi methodicam quamdam plantarum dispositionem prætentaverunt, sed dubiè adhùc, et iter illud, in quo nunc firmiùs incedimus, suspenso quasi gradu explorantes. Omnes enim hanc Tricoccarum, ut vocant, familiam nocivam exitialemque arguunt, et stirpes, quæcumque huic referendæ videntur, suspectas habent : atque ipse jam Morisonius, multis non malè conjunctis in eâdem sectione, ipsam nomine purgatricium lactescentium necne designat. Progressu autem temporis, ut meliùs hujus ordinis innotuêre characteres, utque crevit continuis auctorum laboribus generum specierumque numerus, virtus simul eorum magis ac magis, quotiès explorata, totiès confirmata est.

Hæc Euphorbiacearum vis de quâ dicimus, in omnibus ejusdem naturæ est, excitans scilicet; verùm ex eâ non semper unus atque idem effectus. Natura enim, dùm cunctas ejusdem familiæ plantas communibus quibusdam connectit signis, singulas iisdem variè modificatis distinguit; quod de proprietatibus earum proindè ac de botanicis characteribus intelligi potest.

Quid de medicatione excitanti eveniat primò considerandum. Si non admodùm vehemens et dosi modicâ ingeratur, pleraque organa, quasi stimulo admoto, vividè magis exercentur. Sanguinis circulatio

celerior atque plenior, præsertim in capillaribus : hinc frequentes fluxus ; aut in cute sudor ; aut in utero mensium eruptio ; aut in renibus copiosior urinæ secretio. Augetur simul vasulorum absorbentium suctus, quod atonicæ congestionis resolutioni, hydropisve passivi curationi favere potest.

Si medicamentum acrius aut minùs parcum exhibeatur, loca ipsa quæ tangit, irritat. Hinc, si canali intestinorum admoveatur, nunc emesis, nunc catharsis, sæpè utraque. Tunc phænomena exstant quoque generalia quædam, sed minùs clara propter majorem localium intensitatem.

Si denique substantiæ excitantis et vis acerrima sit, et dosis copiosa, loca quæ in contactu cum ipsâ inflammantur. Hinc phlegmasiarum diversa signa diversæque læsiones. Hinc sæpè quoque sympathica systematis nervosi perturbatio, quæ lethifera etiam esse potest, spatio nonnunquàm temporis breviori quàm ut læsioni organorum suffecerit.

Itaque inter medicamina quæ sudorifica, hydragoga, emmenagoga, diuretica, emetica, purgativa vocantur, magna similitudo ; tanta quidem, ut unum atque idem interdùm pluribus finibus respondeat : atque ex his multa etiam sunt quæ à venenis dosi tantùm discrepent, quod manifestum fit in toxicologiæ libris corpora recensentibus pleraque eadem ac pharmacologia.

Quibus præmissis, vis Euphorbiacearum, quamvis nunc leniùs, nunc vehementissimè operetur, sibi tamen constare semper invenietur ; præsertim, si ratio habeatur multorum, quibus variantibus, vis hæc quoque variat, ut optimè clarissimus De Candolle edocuit ; si hinc scilicet plantæ, quam explores, genus, species, pars, patria, sedulò notentur, indè vivi corporis cui applicatur status.

Lacteus scilicet succus est in quo principia acerrima abscondi videantur. Necesse igitur est magna proprietatum existat discrepantia varias inter ejusdem plantæ partes plùs minùs hoc lacte imbutas ; major, diversas inter stirpes eodem alias instructas, alias verò egentes. Dispares erunt quoque inter se quæ in plagis creverunt

temperatis, et quæ sole tropicorum caluerunt. Hæc omnia in comparativâ virium æstimatione, inque experimentis agendis, sedulò attendenda.

Euphorbiaceis paucis odor saporque aromaticus ; plurimis odor nunc nullus, nunc nauseosus virosusve, sapor sæpiùs acris et pungens. Quædam, ut Acidoton diversæque Tragiæ aut Jatrophæ species, pilis horrent qui liquorem acrem excernunt, sensumque cuti punctæ, urticæ instar, imprimunt.

Cortex variarum Crotonis specierum tantùm aromaticus, indè in potibus gratè stimulantibus aut vulnerariis conficiendis usitatus. Cascarillæ virtus similior, sed jam magis valida. Sic agere quoque videntur flores nonnullarum, Caturi spiciflori verbi gratiâ, ut corpori solummodò tonum addant.

Non paucæ sunt quæ renum laborem stimulent, ut quidam Phyllanthi, folia Mercurialis annuæ, radix Ricini communis, etc. Multas prætercà contra hydropem valere auctores testantur, seu indè absorptioni, seu urinæ secretioni faveatur. Phyllanthi iidem emmenagogi. Cortex plurium Crotonum, lignum Crotonis tiglii et Buxi, folia ejusdem et Ciccæ distichæ, Euphorbiæque multæ, etc., memorantur ut sudorifica, aut contra syphilitidem commendantur : ut emetica autem, radix Euphorbiarum, Commiæ succus, Anda, Mercurialis perennis, etc. È purgantibus, inter plurima quæ in hoc ordine exstant, commemorare satis est folia Buxi et Mercurialium, succum Euphorbiæ, Commiæ, Huræ, semina Ricini, Crotonis tiglii, Andæ, Jatrophæ, etc.

Multæ harum parcâ etiam dosi nocivæ ; aliæ autem adeò venenosæ, ut his nunquàm medicina uti audeat, quemadmodùm, exempli gratiâ, Hippomane. Sic vis excitans in Euphorbiaceis gradatim ab operatione innoxiâ aut utili, ad periculosam exitialemve transit.

Venena ex hoc ordine desumpta pleraque inter acria collocanda esse videntur. Sæpè tamen quiddam accedit narcotici; cujus rei exemplum in Phyllantis variis et nonnullis aliis piscem, si aquæ injiciantur.

menispermi cocculi instar, inebriantibus : quod et in homine ipso diversis exemplis confirmatur.

Vis Euphorbiacearum resinæ atque imprimìs principio volatili, quæ in his continentur, tribui potest. Hinc harum tincturæ alcoolicæ vehementiores ; hinc nonnunquàm ex ipsis vaporibus manantibus periculum ; hinc notabilis virium, post admotum calorem, imminutio : sicque intelligi potest quomodò quædam ex his, anteactâ coctione, nunc pro topicis emollientibus, nunc pro alimentis in usu esse potuerint. Exemplum scilicet præ omnibus insigne radix Janiphæ manihot, quâ nullum venenum forsàn acrius, sed quâ eâdem igni subjectâ pauci cibi salubriores, frequentioresve.

In seminibus, perispermo crassiori oleum inest fixum, innocuum ; principium autem nocivum, et, ut videtur, volatile embryoni. Itaque, hoc ablato, nuclei in quibusdam, ut Omphaleâ diandrâ, tutò eduntur ; oleumque ex ipso expressum nunc lene est, nunc acre, prout, in eo parando, embryo intactus necne relictus est.

Inter alia elementa quæ in Euphorbiaceis chemica analysis invenit, duo hic præcipuè notanda, alterum scilicet quod vulgò *Cahuchu* seu *Caoutchouc* dicitur, alterum quod *Tournesol.*

Cahuchu, singularis hæc materia, quæ, quoniàm calore modico fusa facilè formam quamlibet accipit et servat, neque aëre neque aquâ vitiatur, mollis omnique acritudine destituta diversas humani corporis partes contactu suo minimè lædit, iisdemque variè flexuosis admodùm elastica sese accommodat, et hinc maximum præstat arti chirurgicæ in conficiendis instrumentis adjumentum ; hæc, inquàm, è Siphoniâ elasticâ extrahitur, sed invenitur quoque in succo plurium Euphorbiacearum, ut Excæcariæ agallochæ, Hippomanis mancanillæ, Huræ crepitantis, Sapii aucuparii, Pluknetiæ volubilis, Jatropharum, Mabearum, Omphalearum (De Candolle), Euphorbiarumque quarumdam (Tussac).

Tournesol, succus arti tinctoriæ utilis, sed multò magis chemicæ, quoniàm puniceus naturâ, paratione autem, additis quibusdam

alcalinis, cæruleo-violaceus, statim ad colorem nativum redit, si quidpiam acidi addatur; paratur ex Crozophorâ tinctoriâ seu Crotone tinctorio L., sed et in quibusdam aliis exstare videtur, ut in aliis Crozophoris, Crotone tricuspidato et C. quinquecuspidato, Argythamniæ, Ditaxis, Claoxyli speciebus.

Substantiæ quædam singulares, ut quâ Stillingiæ sebiferæ semina involvuntur, pulvisque coccineus quo fructus Rottleræ tinctoriæ conspersi, hic prætermittentur, quoniàm in speciebus unicis occurrunt, neque ideò characterici in ordine possunt vocari.

Nunc enumerandæ sunt species omnes quibus aliqua vis ab auctoribus tribuitur, seu confirmetur horum testimoniis virium in Euphorbiaceis analogia, sive contrà infirmetur. Antè autem animadvertere decet, è tam numerosis hujus ordinis speciebus paucissimas tantùm species expertas haberi, et in his ipsis non semper partes quæ maximè valerent, ut semen, fuisse exploratas, et earum deniquè quæ exploratæ fuerunt vim nativam interdùm præparando, ut coctione, mutari potuisse.

ACALYPHA.

A. cupameni, herba indica. — « Radix trita et cum aquâ calidâ « assumpta, cathartica est. Folia trita et cum aquâ epota ventrem « laxant. » (Reed. 10. 161.)

ACIDOTON.

A urens, frutex jamaïcensis. — Nomen à setis quibus instruitur urentibus, ex Sw. et Sloane.

ALEURITES.

A. ambinux, arbor moluccana, quæ in insulâ Borbonicâ crescit, quoque importata. « Nucleus ejus sapidissimus, aphrodisiacus, et « paulò nimis indigestus. » (Commers. mss.)

Camirium Rumphii, arbor javanensis et moluccana, certò congener. « Amboïnenses quidam nucleos crudos comedunt cum pauxillo

« piperis mistos ; sed non multi simul sunt edendi eò quòd inebrient. « Si torreantur, securissimum est.... Oleum decoctum ad pisces fri- « candos ab homînibus vilibus usurpatur. » (Rumph.)

ANDA.

A. gomesii, arbor brasiliensis.

Ex Maregravio (110) : « Barbari illius cortice utuntur ad capien- « dos pisces ; aquâ enim in quâ maceratur omnes animantes sopo- « rantur.... Fructûs duæ castaneæ comestæ purgant bilem atque « pituitam absque molestiâ, omnique ætati et sexui, imò et prægnan- « tibus conveniunt. Possunt quoque ex his cum saccharo pauxillo, « semine anisi et cinnamomo tabellæ fieri, quæ sunt gratissimum « medicamentum iis qui abhorrent à purgantibus. Dosis autem duæ « castaneæ. »

Piso (lib. IV. ch. 23, p. 72) vim majorem seminibus tribuit. Ipso enim testante, « validæ purgans hoc est operationis. Quamobrem « ægris morbo fractis haud tutò exhibetur, nisi opportunè à manu « medici correctorium accipiat.... Unum siquidem semen atque « alterum manducatum alvum ducit ; quibusdam simul et vomitum « excitat. Olim magnates purgans hoc et salutare remedium cæteris « omnibus præferebant. »

Nuperiùs Bern. Gomes in observationibus botanico-medicis de qui- busdam Brasiliæ plantis (Mem. acad. Lisb. 3. 1), de hâc disseruit, actis quibusdam experimentis. « Semina, inquit, absque torminibus « aut aliâ molestiâ mediocriter operata esse comperi. Hic tamen dissi- « mulandum non est mihi videre contigisse juvenem qui, duo triave « semina recenter lecta edens, posteà tormina passus est ; hinc tamen « nihil aliud, nisi matura tantùm, sicca et optimè contusa, ut benè « vertant, exhibenda esse conficio. His sub cautionibus tutum sua- « veque semper hoc fore remedium confido. Adhùc quid jucundius ? « Hæc semina sicca avellanas sapiunt, quapropter ea manducare non « tædet. Quoniàm insuper oleum et mucilaginem in se recondunt, « facilè cum saccharo in emulsionem verti possunt : quid tunc ad

« solvendos pueros, et eos qui à remediis abhorrent, præstantius?
« Hàcce sub formâ illa exhibui in memoratis periculis. Pro delica-
« tioribus, et, ut tormina omninò vitentur, huic compositioni non-
« nihil aromatis accedat oportet.... Hæc semina perdurant diù
« incorrupta. Abhinc duos annos ea servo, nec utcunque rancida de-
« prehendo. Dosis duo triave semina. »

Quædam addit auctor de oleaginosâ seminum naturâ, undè utilitas in usu domestico, et præcipuè in picturâ, percipi posset.

BRIEDELIA.

B. spinosa, frutex indicus. — Ex Roxburgh, cortex astringens est, cujus magna vis. Foliis libenter vescuntur pecora, et indè vermes eorum intestini necari feruntur.

BUXUS.

B. sempervirens, arbuscula europæana. — Foliis odor ingratus, et sapor amarus, nauseosus, præsertim humidis. Decoctis vis sudorifica (Duhamel), purgansque, ex quibusdam, vehemens. Dosis autem unciæ $\frac{1}{2}$ aut $1\frac{1}{2}$ (Peyr. 434) : ex aliis (Puynh. Gouan. Haller) drachma unica in pulvere satis est. Narrat Hansvay hæc in Persiâ pabulum camelis præbere gratum, sed mox lethiferum. Interdùm in cerevisiâ conficiendâ pro Humulo substituuntur.

Ligni radicisque scobis (unciæ 1-4) in aquâ vinove infusa, sudorem potenter ciet, et hinc quasi ligni guayacini succedanea in morbis syphiliticis rheumatismoque chronico commendata est. Ex eâdem oleum empyreumaticum, fœtidum distillatur. — Hæc omnia medicamenta nunc obsoleta.

CATURUS.

C. spiciflorus, arbuscula indica. — « Doctor Pryon notat quòd flo-
« res specificum præbeant remedium in diarrhæa et omni morbo ex
« laxitate vasorum orto, si cum aquâ coquantur, vel in conserva adhi-
« beantur. » (Burm. Ind. 303.)

CICCA.

C. disticha, fruticula indica. « È foliis cum aquâ communi de-« coctum conficitur quod sudores movet et variolos expellit. » Hæc Reed (3. 58), additque radicem, cujus succus lactescens acris, ad ciendum vomitum alvumque laxandam adhiberi, sed quibusdam aliis commixtam, foliaque cocta, ad sudorem. Fructûs bacciformis integumentum carnosum, saporis subacidi refrigerantisque, jucundè et tutò comeditur, sicut et in *C. racemosâ* Lour. (680). De seminum vi, profectò cathartică, tacent auctores.

Tricarium, cochinchinensis arbuscula, quæ Ciccæ affinis, drupam quoque fert esculentam. (Lour. 680.)

CLUYTIA.

C. collina, arbuscula indica. — Capsularum cortex dicitur admodùm venenosus, testante Roxburgh.

CODIŒUM.

C. variegatum, frutex moluccanus. — Hujus varietates nonnullæ velut distinctæ species describuntur à Rumphio, quo testante, « om-« nium cortex et radices calidæ sunt naturæ, oris ac faucium ardorem « excitantes, qui per totam persentitur diem. » Sed præcipuè varietatis sub nomine *C. sylvestris* memoratæ radix « ab Uliasserensibus et « Nussalautæ populis adhibetur tanquàm purgans vulgare, cujus frus-« tulum semidigitum longum sumitur ac masticatur cum siri pinungâ « (arecâ cathecu), ejusque deglutitur succus; faucium verò ardorem « excitat notabilem, etc. » Folia autem « modicè sunt refrigerantia ac « saporis dulcescentis, teneraque in olus coqui possunt. » (Rumph. 6. chap. 29. 31.)

COMMIA.

C. cochinchinensis, arbuscula. — « Gummi albi, tenacis, ex arbore « manantis virtus emetica, purgans, desobstruens. Prudenter admi-« nistrata valet in rebelli hydrope et obstructionibus. » (Lour. 743.)

CROTON.

C. tiglium, frutex indicus, zeïlanensis, sinensis, moluccanus. — Cuilibet hujus plantæ parti magna vis inesse videtur, radici scilicet, ligno, foliis, sed præcipuè seminibus et oleo ex his expresso.

Radix drastica est et in Amboinâ Bataviâque hydrope laborantibus velut specifica adhibetur paucorum granorum dosi.

Lignum ejus « leve, spongiosum, pallidum, vestitum cortice cinereo saporis pungentis et caustici, odoris ingrati, » *panavæ* dicitur. Dosis ejus parcior sudorem movet, copiosior purgat utrâque parte; sed vis multò major recenti quàm sicco.

Folia sic acria sunt, ut indè « os, labia, fauces inflammatæ intumescant, et ardor usque ad anum percipiatur. » (Murr. 4. 150.)

Seminum, quæ *grana molucca* aut *tiglia* vulgò nuncupantur, usus frequentior et jamdiù notus; sed in Europâ, casibus nonnullis ex imprudenti medicinâ ortis, omninò obsoleverat. Nunc tandem renovatur à Britannis, quibus rerum indicarum, nunc imprimis, cognitio familiarior et facilior comparatio.

Semina hæc aquæ injecta pisces interimunt. Decem aut viginti fructus confracti et cum melle misti, equos modicæ staturæ, citâ ex his diarrhœâ vehementissimâ, interdùm necaverunt; et tùm signa veneficii erant ventris tormina, ciborum inappetentia, æger anhelitus, os spumans, dentes frendentes, pulsus arteriarum, præsertim morte jam propiori, parvus et contractus. (Orfil. 2. 113.) Vehemens semper è seminibus sine ullâ præparatione datis, ventriculi intestinorumque inflammatio. Itaque in Indiâ, ubi medicamentum hoc purgans in usu est, non adhibentur nisi tosta primò, quo facto removetur testa, nucleus in pulverem redigitur et paulisper lenitur acrimonia.

Oleum ex his elicitur, cui color luteus, odor vix ullus, sapor acris; quæ tamen variare possunt, seminibus plùs minùsve torrefactis. Cùm æther et terebenthinum oleum totum hoc dissolvant, purius sinceriusque obtinebitur, si digerantur in his menstruis se-

mina, quàm si è tostis et compressis, ut fit in Indiâ, exprimatur. Elementa autem hujus, ex doctoris Nimmo experimentis, sunt : olei fixi vi omni cathartică destituti partes 55, 45 autem principii cujusdam acris, purgativi, quod, in alcoole æthereque sulfurico et pinguibus volatilibusque oleis solubile, naturæ resinaceæ videtur, possitque nomine *tiglinæ* insigniri.

Utuntur aut oleo integro aut tincturâ ejus alcoolicâ, in quâ tiglina tantùm soluta continetur. Dosis, guttæ una aut altera. Operatur autem cæterorum drasticorum modo ; eo tamen commodiùs, quòd facillimè administrari possit. Satis est enim interdùm si linguam tetigerit. Valebit igitur cum maniacis aut aliis ægris quibus difficile potus copiosior ingereretur. (Hæc omnia excerpta è doctoris Paris Pharmacologiâ. London medic. journ. n° 208.)

Vim olei tiglini nuperrimè expertus est medicus alter britannus, C. Dendy, qui mulierem juniorem tres jam hebdomades constipatione pertinaci laborantem, in quâ curandâ usitata omnia remedia, vel valentissima, nihil omninò profecerant, symptomatibus jam admodùm ingravescentibus, medicamento hoc adhibito, celerrimè sanavit. (Lond. medic. reposit. n° 112.)

Imò hoc oleum non tantùm ori, sed ipsi umbilico appositum, catharsim ciet. (Ex Herm. mm.)

Croton *moluccanum* Lour. (non L.), arbor cochinchinensis. — « Virtus seminum purgans, emetica, desobstruens, eadem ferè « quæ C. tiglii, sed minùs vehemens ; ideò apud medicos cochinchi- « nenses crebriùs usu venit. Lenior et innoxia fit, si semina pelliculâ « interiori libera ità contundas in linteo, ut huic totum oleum ad- « hæreat, massamque istam coquas et exsiccatam leviter torreas. » (Lour.)

Croton *cascarilla*, frutex americanus. — Cortici ejus, qui in pharmacopæis vulgatus sub nomine *Cascarillæ, corticisve eleutherani*, odor suavis, magis, dùm comburitur, fragrans ; sapor amarus, undè sensus acritudinis in ore diù persistens. In hoc, ex

analysi D. Tromsdorff, continentur oleum volatile, resina, principium amarum, mucilago. Infunditur aquæ, vino, alcooli; hoc infusum cæteris potentius. Pulvis quoque aut extractum ejus parantur, et aquam de eo stillatitiam indicat codex medicamentarius.

Cascarillæ vis tonica et excitans. Doses ejus parcæ (pulveris grana 6-12, tincturæ guttæ 30) facultates digestivas stimulant, copiosiores totam œconomiam. Hinc enim cursus sanguinis celerior, calor corpori additus, sæpè etiam diaphoresis aut hæmorrhoïdum fluxus, etc. Suadebatur itaque, si tonicis opus esse judicaretur, in diarrhæâ, febribusque adynamicis aut intermittentibus, ut corticis peruviani succedanea, ipsique interdùm consociabatur. (Barb. 2. 12.—Alib. 1. 72.) Nunc minùs in usu est.

Hanc quidam medici virosam narcoticamque suspicati sunt (Peyr. 447), quod confirmant vertigines et ebrietas quibus interdùm laborant qui pulveris ejus plùs justo addunt tabaco, ut fumus ejus fiat ad sugendum gratior. (Murr. 4. 133. — Desc. 1. 13.)

Croton *balsamiferum*, frutex antillanus. — Martinicenses, « quibus *petit baume* sive balsamum pumilum vocatur, ex spiritu vini « adusti cum hâc plantâ destillato liquorem conficiunt spirituosum « mensisque dicatum, cui nomen imposuêre *eau de mantes.* » (Jacq. Amer. 255.) Succus spissus et odorifer ex omnibus partibus fruticis incisi manat : similique scatent Croton *origanifolium*, ideò *copahu domingense* nuncupatum, *C. niveum* et *C. aromaticum.*

Plures prætereà Crotonis species apud Brasilienses contra morbos syphiliticos nunc magno in usu esse, profectò ut sudorificas, retulit mihi D. Aug. de Saint-Hilaire (1).

---

(1) Idem in plurimis Euphorbiaceis observatis vim plùs minùsve excitantem et frequentem acritudinem confirmavit. Hæc, ut speramus, meliùs patebunt in expectatis celeberrimi peregrinatoris operibus, quæ hoc modo, ut botanicæ plurima, sic quædam et medicinæ discenda poterunt exhibere.

CROZOPHORA.

C. tinctoria seu *Croton tinctorium*, vulgò *Tournesol*, herba europæana australis. — Sapor acris ; virtus emetica, drastica, corrosiva. Hanc medici nullo in usu habent ; veteres tamen, Plinius, Cæsalpinus, Boerhaavius, jure Ricino Euphorbiæque comparaverunt, affirmantque, seminibus ejus in pulverem contritis cumque oleo ingestis, catharsim optimè cieri. Succus ejus spissatus, sub nomine *lacmi* vulgatus, vi eâdem ac fructus valet. Quem Bergius, cùm gustu exploravisset, ore deindè non colluto, œsophagi irritationem, cardialgiam, vertiginem expertus est. (Gouan. 357.)

DRYPETES.

D. alba et *D. crocea*, arbores fruticesque antillanæ. — In priore, fructûs drupæformis pulpa saporis expers, perispermum paulisper acre. Idem in posteriore faucium ardorem ciet, sinapis instar acerrimæ. (Ex Poiteau.)

ELÆOCOCCA.

E. verrucosa seu *Dryandra cordata*, arbor japonica ; et *E. vernicia* seu *Vernicia montana*, arbor sinensis.—Ambæ magni commodi propter abundans oleum è seminibus expressum, in illâ lychnis, in hâc lignis telisque illinendis, utile ; sed in neutrâ, rei cibariæ, quia scilicet acrius.

EMBLICA.

E. officinalis, arbor indica. — Fructus qui *myrobalanus emblica* offic., drupæformis, sapore manifestè acido et astringente. « Siccatus « autem pro miti purgante habitus est, sed veriùs astringendi potentiâ pollet. Decoctum indè paratum contra dysenteriam aliaque alvi « profluvia in laude fuit. » (Murr. 4. 127.)

EUPHORBIA.

Inter species hujus generis numerosissimas, paucæ sunt quæ non succo turgeant lacteo, acri : sed in quibusdam carnosis, cactiformibus abundat præsertim, è quibus extractus concretusque servatur sub nomine *gummi Euphorbii*, de quo hìc primùm agetur.

Forma ejus, massulæ irregulares, friabiles, sæpiùs perforatæ ; color extùs pallidè luteus aut rufescens, intùs albus ; odor nullus ; sapor mox pungens urensque nec tutò exploratus. Elementa, resinæ partes 60, olei volatilis et aquæ 8, cæteræ, malatum calcis et potassæ, ceræque et lignosi. Aqua paucissimas solvit, alcool plurimas, tincturaque ex eo acerrima.

Euphorbii nociva vis pluribus exemplis patet quàm ut omnia hìc referantur (*vid.* Murr. 4. 88). Ex hoc deglutito atrocissima ventris tormina, hypercartharses cum vomitionibus frequentissimis, singultus, ardor ventriculi et faucium, sudores frigidi, animi deliquia, mors sæpè, consecuta sunt. Cùm cuti vultûs atque imprimìs telæ narium mucosæ applicatum, phlegmasiæ ulcerationesque supervenêre. Hujus semiunciâ cani valido ingestâ, mox gemitus et ad vomendum conatus ; posterâ die virium et sensuum defectio, mors ; in cadavere, intestina omnia admodùm inflammata. Euphorbii pulverulenti drachmæ 2 telæ cellulari femoris admotæ, membri partiumque vicinarum inflammationem lethalem attulère, sed servato sensuum motûsque usu, intestinisque et pulmonibus illæsis. Euphorbium igitur in animantibus sicut in homine operatur, phlegmasiam localem acerrimam ciet, undè sequitur sympathica systematis nervosi perturbatio, sed non absorbetur. (Orf. 2. 52.)

Usus ejus apud veteres, ad catharsim sternutationemque ciendam, frequentissimus, nunc quasi omninò obsolevit ; et rectè quidem : plùs enim pharmacopæo paranti nocebat quàm proderat ægrotanti. A quibusdam tamen commendatur, sed topicè tantùm, seu ad vesicationem in unguentis epispasticis, ut pommato vulgò dicto *de Grandjean*, seu « in carie ossium ad separandam vitiosam par-

« tem, sive exfoliationem ejusdem quam vocant perficiendam. » (Murr. 4. 95.)

De quâ specie oriatur Euphorbium, ambigitur adhùc; forsànque indiscriminatim è pluribus extrahitur, inter quas præcipuè inclarescunt Euphorbia *canariensis*, *E. officinarum* æthiopica, et *E. antiquorum* indica et arabica, cujus prætereà (ex Reed. 2. 82) cortex radicis contritus et sumptus cum aquâ purgativus est. His addenda forsàn *E. cereiformis* africana, cujus è cortice quomodolibet fracto lac virosum copiosè effluit, succusque concretus pro mercimonio importatur. (Moris. 3. 345.)

Quædam species inter alias hìc breviter notandæ, ut :

E. virosa, æthiopica. — Nomen vim indicat.

E. nereifolia, indica. — « Lac ejus desumptum vehementem caussat « faucium ardorem.... Adhibetur ad purgationes vehementiores.... « Oculos tangens, illos quàm maximè inflammat et tumidos reddit. » (Rumph. 4. 89.)

E. tribuloïdes, canariensis. — Sudorifica.

E. tirucalli, indica. — Ex lacte ejus oculis admoto ophthalmia vehemens, et interdùm cæcitas. Ejusdem, cuilibet farinæ misti, drachmam singulis diebus sumunt Indi in syphilitide, et indè, nisi morbus nimiùm invcteraverit, sæpè curantur, narrante Sonnerat. Lac etiam coctione spissatum, ad catharsim aut emesim ciendam, servatur; sed è remedii violentiâ periculum. (Encycl.)

In Euphorbiis plurimis caule tereti nec carnoso, è quibus multæ herbaceæ in regione plùs minùs à tropicis remotâ habitant, succus exstat, multò quidem minùs acer et copiosus, sed ejusdem naturæ. Hinc vis illis semper stimulans, variis autem modis manifestata, prout in variis seu speciebus, seu ejusdem speciei partibus, exploratur. Nunc enim sæpissimè purgatio etiam nimia, nunc vomitus, nunc sudor movetur, his ingestis, vel, iisdem applicatis, phlogosis aut vesicatio. Inter multas quædam tantùm hìc memorandæ :

E. lathyris, herba europæana, vulgò *Épurge*. — Semina, quæ vulgò *Cataputiæ minoris* dicuntur, vi drasticâ valent, quæ experi-

mento et in animalibus confirmatur et in homine. Unum enim aut alterum rustici sæpiùs, ad alvum solvendam, mulieres plura, ad provocandum abortum, sumere narrantur. (*Vid.* Murr. 4. 100.)

Foliorum ejus succi unciæ 8 cani valido ingestæ, conatus ad vomendum primò, alvi dejectiones, debilitatem, posterâ die convulsiones et mortem attulêre. Pulmones in cadavere lividi, sanguine congesto densi, intestinum rectum maculis quibusdam rubentibus notatum. (Orf. 2. 54.) — Ejusdem granis 20 feli exhibitis, succussio capitis, tussis, sternutamenta, tremor et motus totius corporis convulsivi, mox dejectiones, ægra et sibilans respiratio, vani ad vomendum conatus, corpus immobile, oculi clausi; denique, post vomitum concitatum, curatio. (Sprôgel exp. circ. venen. 12.)

Cortex radicis cauliumque in pulverem redactus et dosi granorum 15-30 sumptus, cartharsim ciet, cui vomitus quoque, sed rariores accedunt. (Lois. Desl.)

E. peplus, herba europæana. — Mulieri tertianâ laboranti grana 20 radicis ejus in pulverem redacti ingesta fuêre, et sine nauseâ : indè dejectiones tres, absque colicis. (Lois. Desl.) — « In Alsatiâ in « medicinam recipitur, ejusque cortex in hydrope drachmæ pondere « propinatur. » (Hall. 2. 10.)

E. pithyusa, frutex europæanus australis. — Radicis cortex in pulverem tritus ægris triginta et sex purgandis propinatur. Hinc alvi dejectiones plùs minùs copiosæ in omnibus, in quibusdam prætereà vomitus, sed multò rarior. (Lois. Desl.)

E. sylvatica, herba europæana. — Radicis caulisve pars corticalis trita, sæpiùs catharsim, interdùm vomitum, non rarò utrumque ciet. (Lois. Desl.)

E. hiberna, herba europæana. — « Adeò acris dicitur, ut etiam « manu comprehensa alvum ducat. » (Hall. 2. 8.)

E. ipecacuanhæ, suffrutex ex Americâ boreali. — Harum regionum medici cortice ejus utuntur, non secùs ac speciebus Rubiacearum Violacearumque emeticis. (A. Rich.)

E. gerardiana, herba europæana. — Radicis cortex ægris viginti

et duo sub formâ pulverulentâ exhibitus, catharsim, simulque emesim ferè totiès, civit. (Lois. Desl.)

E. Cyparissias, herba europæana, quæ *Esula minor* offic.—Hujus succi unciis 5 cani modico ingestis, dejectiones nonnullæ, secundâ ac tertiâ die major ac major tristitia, usu tamen sensuum et motuum adhuc servato, denique mors. Maculæ tantùm quædam rubentes in intestino recto observantur, cæteris organis illæsis. (Orf. 2. 55.) — « In homine, ab hujus remedii usu, delapsa et renovata cutis facici, « et oculus inflammatus, cæcitasque secuta est, cùm ad clausi oculi « palpebras succus admotus fuisset; et fœmina à sumptâ radice intra « triginta minuta occisa. » (Hall. 2. 8.) — Refert quoque Lamotte clysma ex hâc herbâ paratum lethiferum fuisse. — Quidam tamen eâ minùs infeliciter usi sunt. Scribit enim Murray (4. 104.) radicem ejus à granis 6 ad 20 in pulvere, imò à scrupulo uno ad drachmam, alvi fortiùs movendi causâ, concessam fuisse, usitatamque hoc fine olim apud rusticos, undè nomen *Rhabarbari rusticorum* acceperit. Eamdem prætereà doctor Loiseleur-Deslonchamps in morbis viginti exploravit, sed prudentiùs (dosi gran. 4-30), et in plerisque vomitus simulque alvi dejectiones, has tamen illis frequentiores, observavit.

E. palustris, frutex europæanus, qui *Esula major* offic. — Vis, usus, dosisque, perindè ac præcedentis. « In Russiâ autem succus « ejus recens ingeritur pondere circiter 5 drachmarum, et, hujus « defectu, radix sicca ad idem pondus, cui aqua calida infusa, ut « alvum purget. Violentiùs quidem hoc efficit, et plerumquè vomitum « mitem ciet, nunquàm autem tormina creat, et effectum suum, « uno quasi impetu, absolvit. » (Murr. 4. 105. ex Pallas.)

E. helioscopia, herba europæana. — Sub nomine *Esulæ* et eâdem de causâ in Suecià petitur. « Succus ejus corrosivus, exulcerans instar « cantharidum.... Editur ab ovibus, sed facit diarrhæam. » (L. Fl. suec.)

E. esula, herba europæana.— Mulier, radicis ejus granis 30 deglutitis, post semi-horam obiit, teste Scopoli, qui vidit etiam, Esulâ abdomini imprudenter applicatâ, gangrænam mortemque mox sequi,

sicut et ophthalmiam cæcitatemque, cùm ejus lacte palpebra oculi clausi illita fuisset. (Orf. 2. 56.)

E. verrucosa, herba europæana. — Hàc et Reussi et rustici nostri alpicolæ ad catharsim ciendam utuntur. (Vill. Dauph. pref. 6.) Memorantur prætereà seu venenosæ seu purgatrices species, inter indigenas *E. platyphyllos*, *E. characias*, *E. amygdaloïdes*, *E. exigua*; inter exoticas, *E. mauritanica*, *E. portulacoïdes*, *E. retusa*; et *E. canescens* ab Hispanis infusa in aquâ adversùs syphilitidem adhibetur.

Verùm adeò constans est et indubitata specierum generis hujus vis, ut cunctas quæ valere eà dicuntur referre fiat omninò supervacaneum, quoniam sic omnes, ut ità dicam, forent enumerandæ. Nonnullæ quidem sunt quæ innoxiæ videantur, sed temperatâ tantùm, non planè sublatà acritudine, ut, exempli gratiâ, *E. dulcis*: quæ quin nomen mereatur multùm abest, cæteris tamen paulò mitior, ideòque tutiùs adhibenda, indicante Gilibert.

Narrat Loureiro folia cujusdam Euphorbiæ, quam ideò specifico nomine *edulis* distinguit, pro oleribus apud Cochinchinenses in usu esse. Quid autem mirum, cùm præcipua vis in principio volatili existere videatur, et cum eo dissipari coctionis calore debeat? Quod confirmat Ægyptiorum usus memoratus à Forskal, quo teste, caules Euphorbiæ antiquorum succo tàm exitiali scatentes, in terrâ tamen concoctas pabulum equis suppeditant.

EXCÆCARIA.

E. agallocha, arbor ex indicis insulis. — Si fructus ore manducentur, primò nullum notabilem exhibent saporem, sed demùm parùm exurunt.... Si incidatur arbor, « copiosum fundit lac albi-« cans, spissum, ingratum ac nauseosum.... Nocet præsertim ocu-« lis, si illos adtingat, quos adeò inflammat, talique dolore tumidos « reddit, ut illorum usum quis amitteret, ni cito auxilio illis succur-« reretur. Hoc nautæ nostrates experti sæpiùs fuere cum suo damno, « qui emissi ad lignum cædendum pro foco, ac in littore has ar-

« bores obvias videntes, securibus suis fortiter incidebant. Sed mox « prosiliente lacte oculi ipsorum ità infestabantur, ut tanquàm furi- « bundi per littus decurrerent, quorum et quidam visum suum penitùs « perdiderunt. » (Rumph. 2. 238.) Hinc arbori excæcantis, generique Excæcariæ nomen inditum. Ligni ejusdem, cùm uritur, fumus nocet. (Ex Leschenault mss.)

E. camettia, arbor indica. — « Lignum et radix incisa succum « acrem lacteum fundunt. Ex arboris foliis in aquâ coctis balneum « conficitur anti-arthriticum. Eodem decocto, si ulcera antiqua et « verminosa laventur, vermes necantur, ac ulcera potenter mundan- « tur. » (Reed. 5. 89.)

HIPPOMANE.

H. mancinella, arbor antillana et guianensis. — Arboris hujus exitialis magna fama, dissentientibus tamen de periculi magnitudine narratoribus. « Tota arbor in omnibus suis partibus lacte scatet can- « didissimo, copiosissimo valdèque caustico, hinc venenatissimo. « Guttula ejus cuti manûs imposita (volam excipio) brevi eamdem, « ignis instar vivi, in vesicam lymphâ plenam attollit. » (Jacq. Amer. 251.) Quod quidem expertus est D. Tussac, qui de hâc arbore disseruit (Jour. bot. 1813. 1. 112) : guttæ nonnullæ hujus succi manui admotæ ampullas moverunt, quas consecuta sunt acerba pertinaciaque ulcera, quæ nonnisi mensibus aliquot elapsis sanata fuère. — Nigritæ qui ramulum tantùm Mancanillæ fiderat, facies manusque quasi ustæ intumuerunt, teste Castera. — Memoratur denique sagittas hoc veneno inficere soliti olim esse Americani.

Eodem succo abundat integumentum carnosum fructûs, qui colore et odore pomum parvulum europæum referente nescios invitat. Arbitratur autem Jacquin (loc. cit.) plures nunquàm comedi posse, obstante nucis interioris asperrimâ superficie, et monente faucium ardore promptissimo. Sed ipsi contradicunt quædam exempla, eademque vim Hippomanis non tam formidolosam testari videntur. Dicitur, verbi gratiâ, miles quidam, plurimis horum fructuûm comestis, unâ horâ

elapsâ, in grave periculum incidisse. Venter admodùm tumefactus erat, fervor intestinorum urens, standi impotentia ; mox etiam labrorum, succi contactu, ulceratio, sudorque gelidus. Foliorum Ricini decoctum aquosum emesin catharsimque movit. Hinc symptomata paulatim mitiora, dolorque, post horas viginti quatuor, quasi omninò desierat. Narrat idem auctor (Peyssonel) mulierem gravidam tres hujus arboris comedisse fructus qui vix nocuerunt. (Orfil.)

Umbram ipsam Hippomanis et aquam pluviatilem ex ipsâ defluentem lethiferas plerique memoraverunt ; negat autem Jacquin. (loc. cit.) « Per trihorium, inquit, ipsi mihi periculum cum « sociis facienti nihil mali evenit. Tùm etiam pluviam trans hanc « arborem cadentem corporeque nudo exceptam, innocuam sum ex- « pertus. Noxia fortassè fuit, ubi rupti ventis vel imbribus rami « foliave lac simul distillaverint pluviæ immistum. »

Huic experimento, ex quo tributum umbræ Hippomanis veneficium mera fabula videatur, non tamen omninò fides adhibenda. Namque isti vapores maligni, si reverâ existunt, à principio volatili deriventur necesse est. Itaque, secundùm variam cœli temperiem, manare aut deesse poterunt; secundùm varios venti flatus, huc aut illuc ferri ; ità ut idem sub arbore nunc impunè nunc periculosè recubet; aut hinc sedens nihil mali, indè etiam ultra umbram situs multùm mali, experiatur. Nonne pariter aqua trans arborem stillans, secundùm calidiorem frigidioremve ipsius temperiem, venenata aut innoxia esse poterit ?

HURA.

H. crepitans, arbor americana. — Stillat ex hujus cortice succus lacteus acris, qui, oculis admotus, ophthalmiam concitare queat, unde cæcitas per aliquot dies consequatur. — Narrat Aublet (885) seminibus vim drasticam inesse, quam ob causam *amande à purger les perroquets* vulgò nuncupentur : quumque quidam imprudentiùs semina hæc unum aut duo in emulsione servis nigritis,

ad ipsos purgandos, porrexissent, miseros à vitæ periculo non procul abfuisse.

HYÆNANCHE.

H. globosa, arbor capensis. — Lambert refert fructum ejus colligi redigique in pulverem quo spargantur ovinæ carnes, quibus comestis, hyænæ interimuntur, ut in nostris urbibus à nuce vomicâ canes erratici.

JANIPHA.

J. manihot, frutex americanus. — Radix ejus tuberosa, magnæ molis, quippè quæ libras usque triginta pendens, succo lacteo turget venenatissimo. « Potatus enim vehementer inflat corpus, ventri-
« culum afficit dolore, cum ructu, nauseâ et tenesmo : hinc mox
« oculi obfuscantur; vertigines perpetuique dolores capitis accedunt;
« tandemque extremorum frigus, animi deliquium et ipsa mors suc-
« cedit. » (Pis. 48.)

De succi hujus vi memorantur doctoris Fermin experimenta quædam in animalibus, quæ, ante semi-horam, dosi modicâ haustâ, expiravêre. Symptomata autem erant ad vomendum conatus, anxietas, convulsivi motus, salivæ urinæque et fecium copiosa excretio. Cùm ejusdem stillatitii guttæ 35 servo, capite propter veneficii crimen damnato, ingestæ fuissent, subiti ululatus, violentæ corporis distorsiones, dejectiones, post decimam tantùm horæ partem, mors : nulla in intestinis inflammationis signa.

Cùm autem in hâc radice maxima pars amyli misceatur principio isti nocivo, hoc autem admodùm volatile, vel ferventis aquæ calore dissipetur, inter stirpes alimentarias homini utilissimas adnumeratur, frumentoque æquiparari potest. Itaque radulâ redigitur in pulverem, qui, prelo subjectus, cribro deindè succernitur, et aquâ lotus imponitur laminæ ferreæ, cui subjicitur ignis. Farina sic parata *manioc* vocatur, aut, si ex agglutinatâ placentæ fiant, panis *cassavi*. Aqua autem quâ pulvis lavatur feculam deponit purissimam, quæ vulgò *tapioka*. Minuta hujus fabricæ descriptio, variæ-

que artes tùm parandi manihot, tùm servandi paratum, eoque aut in cibis, aut in potibus, aut in medicamentis utendi, legi possunt in diversis operibus, ut Marcgravio (65), Pisone (52), Aublet (Suppl. 65), et variis de agriculturâ aut de chemiâ tractatibus : verùm hìc, utpotè minùs ad argumentum nostrum spectantes, prætermittentur.

JATROPHA.

J. curcas, arbor ex Americâ calidiore, Africâve boreali. — Semen, quod *pignon d'Inde*, *nux barbadensis* seu *americana* vulgò nuncupantur, valdè acre et venenosum. Ex analysi chemicâ (Pelletier et Caventon, Journ. pharm. 1818. n° 7, et Ess. anal. sur la graine du Medicinier cathartique), præter alia nonnulla, oleum et quoddam peculiare acidum continet.

Perispermum lenius videtur, embryo admodùm nocivus, idque principio volatili tribuendum, ut in multis Euphorbiaceis ; quod jampridem constabat. Piso enim de hoc semine : « Validè purgant tres « aut quatuor nuclei comesti, et quidem nimis, si pellicula interior « non separetur ; ideòque semper adimenda. » Et infrà : « Nuces « purgatrices nonnihil antè torrendæ sunt, ut leniùs operentur. »

Seminis autem perispermo non destituti vim recentioribus experimentis comprobavit doctor Orfila (2. 97). In canibus quibus ingestæ sunt hujus farinæ 1-3 drachmæ, observabantur primò ad vomendum conatus, et interdùm querelæ, mox standi et etiam sentiendi impotentia ; postque mortem, decem circiter elapsis horis, supervenientem, canalis digestivus intùs et extùs inflammatus, calorque membranæ ejus mucosæ interdùm atro-rubens. Ejusdem 2 drachmæ canis femori pelle spoliato applicatæ, necem posterâ tantùm die, sensibus quoque anteà extinctis, attulêre : huic canalis digestivi inflammatio nulla, sed magna femoris spoliati vicinique abdominis. Unde patet semen hujus Jatrophæ admodùm exitiale esse, quod non absorptioni debeatur, sed intensæ inflammationi quæ contactum ejus consequitur, et sympathicæ nervosi systematis perturbationi ; vehementiùs autem operari stomacho quàm telæ cellulari admotum.

Observantur ex oleo seu ingesto seu applicato effectus similes ; multò autem celeriores, violentioresque ex acido jatrophico : cui quidem tribuenda videtur vis olei ; hoc enim in saponem redacto, evanescit.

J. multifida, frutex antillanus. — Semine ejus, quod propter vim vulgò *avellana purgatrix* dicitur, multùm olim Hispani utebantur. Sed posteà, casibus miseris hunc usum sæpiùs consecutis, è plerisque materiæ medicæ operibus rejectum est. Unum quidem semen ad purgandum satis est.... Dicuntur quoque hujusdem plantæ folia decem aut duodecim leviter cocta, catharsim sine nauseâ torminibusve ciere. (Encycl.)

J. gossypifolia, frutex ex Americâ calidiore. — Incolæ foliis ejus decoctis alvum strictam laxant ; inque truncis sæpè tumores excrescunt quibus vis purgans et ptarmica, ex P. Br. Addit tamen auctor semina ab avibus edi.

J. glandulosa, suffrutex arabicus. — Dùm pungit, succum emittit lacteo-aquosum magnæ acritudinis. Recentioribus tamen ejus stipitibus furunculo impositis, tumor emollitur et dolor sedatur. (Forsk. 163.)

J. urens et *J. napæifolia*, frutices ex Americâ calidiore. — Diversæ horum partes hispidæ pilis urentibus, quibus si pungaris, diù senties ; ideòque viatori pediti molestissimæ.

J. stimulosa, herba virginica. — « Radix filipendulo-tuberosa, « tuberibus subcylindraceis, edulibus. » (Michx. 2. 216.) Nonne, Janiphæ manihot instar, tantùm post coctionem?

MERCURIALIS.

M. annua, herba europæana. — De hujus vi dissentire auctores inter se videntur, cùm alii mucilaginosam et emollientem, alii contrà purgativam nocivamque affirment. Oribasius olim, ad catharsim ciendam, decoctum ejus cum vino exhibebat. Pueros vermibus laborantes pulmento cum Mercuriali annuâ parato purgari diù mos fuit (Gouan. 377) ; rusticique ferrarienses eodem cibo, ad alvum sollicitandam, utebantur, teste Brassavolo. (Murr. 223.) Seriùs, in pharmacopæis

sirupum aut clysmata ex hâc melli consociatâ laxativa conficiebantur. Linnæus illam non purgantem tantùm, sed hypnoticam dicit, emollientemque negat (M. m. 247); prædicat deniquè ut diureticam Desbois-Rochefort (2. 16).

M. indica, frutex. — « Folia recentia in jusculo cocta leniter purgant absque ullo symptomate præcavendo. » (Lour. 771.)

M. perennis, herba europæana. — Ovibus nociva et homini, ex Linnæo (Fl. suec. 360). Testante Sloane, apud quosdam, eâ imprudenter esâ, vomitus vehementes supervenêre, diarrhæa immodica, calor capitis urens, sopor altus diuturnusque, et convulsiones quas semel mors consecuta est. Non tutò igitur, quamvis nonnulli suaserint, hoc purgativo medicina utatur. In quibusdam locis, salivatio quoque cum eâ cieri videtur.

Verisimile est nocivas partes, quæ, ex præcitatis, absque ullo dubio in Mercurialibus continentur, coctione partim dissipari : atque ità intelligitur quo modo veteribus pro olere hujus generis species in usu esse potuerit, recentioribusque topicum emolliens suppeditare. Sic applicata, non ullâ vi peculiari profectò prodest, sed solùm aquæ quâ imbuitur præsentiâ, sicut tot alia quæ in laude fuerunt cataplasmata.

OMPHALEA.

O. triandra, arbor domingensis. — Fructus ejus inter nutritios numerantur à Pouppé-Desportes (Pl. us. de St.-Dom. 244); nuclei, nostræ avellanæ instar cujus nomen in hâc insulâ obtinent, eduntur; et pectorale continent oleum quod amygdalum dulcem in linctibus supplere possit, ex Descourtils (2. 55). Addit tamen idem auctor hos nucleos, sicut flores, astringentes esse et diureticos.

O. diandra, frutex antillanus et guianensis. — « Caules secti « lympham aquosam gustu insipidam effundunt, quæ pota sitim « compescit. » (Aubl. 843.) Teste eodem, lobi seminis carnosi, crassi, oleaginosi, eduntur; sed tantùm detracto embryone, ne catharsis cieatur. Hâc quidem ultimâ notâ Omphalea cum cæteris

Euphorbiaceis concordat, cùm ferè omnes aliæ partes innocuæ videantur.

PEDILANTHUS.

P. tithymaloïdes, frutex antillanus, qui vulgò *Dictamnus real* Havanensium. (Ex Humb.) — « Hæc planta omnibus partibus, lacteo « acri et vellicante succo imprægnata, brevi vesiculas in cute excitare « valet, ità ut usum intrinsecum generi humano nocivum esse cre- « diderim. » (Commel. 1. 31.) — « Plantæ totius, præcipuè caulium, « saturatum decoctum à medicis curacaviensibus pro potu ordinario « dosique arbitrariâ præscribitur lue venereâ laborantibus. Eodem in « Continente utuntur Americanæ in menstruorum suppressione. » (Jacq. Amer. 150.) — Poiteau refert eamdem etiam apud Domingenses sub nomine *Ipécacuanhæ* notam, sed ejus usum non ab ipso observatum.

PHYLLANTHUS.

P. niruri, herba indica. — Folia infusa medicamentum præbent inter diuretica potentissimum, ex Commers. mss. Quod confirmat Loureiro (666.), quo teste, « urinam et menses movet, nec satis « tutò. »

P. urinaria, herba indica. — « Virtus totius herbæ diuretica, « emmenagoga. » (Lour. 677.)

P. conami, frutex americanus. — Ramis ejus foliisque contusis inque aquas injectis pisces inebriantur. (Aubl. 928.)

P. virosa, indica. — Nomen vim indicat, quæ ut præcedentis in usu est. « Cortex enim quàm maximè astringens, piscibus obnoxius. » (Klein in W.)

Nymphanthus *squamifolia* Lour., arbor cochinchinensis, quæ species Phyllanthi, à congeneribus operandi modo differre videtur, si fides Loureiro (664), ex quo, « foliorum, florum et fructuum virtus « resolvens, emolliens, anodina. Usus præsertim in affectionibus « pectoris, renum et vesicæ. »

PLUKNETIA.

P. corniculata seu *Sajor-Baguala* Rumph. Circa ædes plantatur, cùm ejus folia gratum ac delicatum præbeant olus cum Calappi lymphâ coctum.

RICINUS.

R. communis, vulgò *Palma-Christi*, arbor herbave europæana australis, indica, africana, etc. — Semina hujus, quæ vulgò *Cataputiæ majoris* dicuntur, oleo abundant, quod nunc in usu frequentissimo est. Constat autem partibus illius seminis diversis, diversas inesse vires, lenissimas scilicet perispermo, acres et nocivas cæteris : undè fit ut semen totum atque oleum ex toto elicitum admodùm periculosa sint, ideòque è medicorum praxi rejecta ; perispermum verò separatim et oleum ex ipso expressum innoxia, ideòque usitatissima. His olim minùs cognitis, Ricini diversa laus fuit inter venena, aut drastica, aut cathartica, aut denique laxativa adnumerati, prout semen integrè aut partìm sumebatur, atque oleo extracto è seminibus, nunc prelo plùs minùsve gravi subjectis, nunc cum aquâ concoctis, plùs minùsve principii acris indè inerat.

Quidam seminis integumentis, id est, testæ et pelliculæ interiori, magnam vim tribuunt, quod duplici exemplo confirmant : altero, hominis qui superpurgatus grave in periculum incidit, semine Ricini cum testâ comesto ; altero, fœminæ quæ, eodem eso sine testâ, nihil mali experta est. (Bergius, Mat. med.) Sed antequàm indè quidquam certò concludi possit, opus sit, ut mihi videtur, probè compertum habere nonne vir suum semen dentibus triverit, nonne contrà fœmina suum nullatenùs tritum deglutierit. Addunt tamen iidem auctores, « si testa unguibus separetur, inflammationem digitorum cum « insigni tumore enasci, quod non videtur à fragmentis exiguis subtùs « unguem detrusis dependere, quippè quæ sub exploratione non visa « sunt, sed ab acri latente. » (Murr. 4. 202.)

Minimè autem dubia vis nociva embryonis, quam Serapio olim,

J. Bauhin, Hermann, Geoffroy, indicaverunt, et posteà Jussieu (392) pluribus exemplis, Deyeux certis experimentis, confirmavêre. Huic tribuendæ tot ab auctoribus commemoratæ, ex usu Ricini, superpurgationes. Quam ob causam « semen paucis adhuc retrò annis apud « auctores medicos nequitiæ notâ distinguebatur, et inflammare œsophagum ventriculumque, purgare violenter, febrem syncopenque « excitare ferebatur; hinc mentionem ejusdem potiùs fecerunt, ad « alios ab usu ejusdem arcendos, quàm ad eumdem alliciendos.... « Hoc etiamnùm suspectum est in locis plantæ naturalibus (Africâ), « adeò ut rarò ab incolis suspensâ manu, id est, unum vel alterum « semen commansum, drastico scopo ingeratur.... Hæcce experi« menta sine dubiò ad errorem ansam dedere, quòd tota stirps veneno « imbuta esset et tactu, adeò quin halitibus umbràque suâ infesta, etc.» (Murr. 4. 199-200). Doctor Orfila (2. 49) quibusdam experimentis vim seminis ejusdem exploravit; quod canibus ingestum, post virium defectionem, dejectiones paucas, stuporem plùs minùsve altum aut vertigines, mortem deniquè, posterà plerumquè die, attulit. In cadaveribus autem, intestinorum, sed præcipuè recti, membrana interior inflammatoriis quibusdam maculis aut ulcerationibus notata occurrit; ità ut Ricini semina locum cui applicantur irritare, et deindè absorpta systema nervosum turbare videantur.

De oleo Ricini sic parato, ut embryo ferè intactus relinquatur, quale apud nostros pharmacopæos venire solet, pauca hìc subjiciam, quia tùm lenius et principio Euphorbiacearum acri quasi destitutum, minùs ad materiam meam attinet. Quandò purum est, color ejus glaucescens, odor et sapor vix ulli, consistentia limpida viscosaque, gravitas cæteris oleis fixis major; frigore vel intenso non congelatur, totumque alcoole dissolvitur. Dosis ejus media unciæ 2, non semel haustæ. Si malè paratum aut nimis vetustum est, rubere, nauseosum olere et acre sapere potest: sed puriorem ad statum redit, expositum ferventis aquæ calori, quo principium ejus acre volatile dissipatur. Arbitratur etiam D. Solimani fore ut Ricini oleum, iterùm atque iterùm lotum in aquâ acido sulfurico leviter imbutâ,

alimentarium evadere possit. Laxat oleorum fixorum more ; sed quasi stimulo quodam superaddito ; valetque adversùs constipationem, diversas colicæ species, ut pictorum (1), dysenteriam ; sed ante omnia, contra vermes intestinos non tantùm lumbricos, sed et ipsum tæniam commendatur. (Barb. 3. 197. — Alib. 1. 375. — A. Rich. 1. 216.)

Radix Ricini diureticum efficax prædicatur (P. Br.), sed insolitum. Folia verò cocta topicum emolliens præstant, profectò quia tùm aquosa. Eadem tamen contra hemicraniam fœminæ fronti per noctem applicata cæcitatem peperisse dicuntur, licet arte dein sublatam. (Hist. de la soc. r. de méd. 2. 302.)

Ricini communis nonnullæ varietates, et ejusdem generis species quædam exstant, quibus semina similia, vi eâdem absque ullo dubio prædita et indiscriminatim in locis natalibus usitata ; ut, exempli gratiâ, Ricinus *inermis* americanus, testante Odier (Journ. med. 49. 455), et *R. viridis* indicus, de quo Rumphius (4. 94) : « Antiquis temporibus 30 ejus ossicula contrita atque cum pauco « liquore assumpta vulgare exhibebant purgans : cùm verò ventricu- « lum vehementer commoveret, in desuetudinem abiit. »

SAPIUM.

S. aucuparium, arbor americana. « Tota manat succo glutinoso « et abundanti, qui ex quâlibet læsâ parte guttatim stillat, ferturque « venenatus. » (Jacq. Amer. 249.)

Refert D. Tussac (Journ. bot. 1813. 1. 117), cùm quidam hortulanus vaporem aquosum è Sapii nescio cujus taleâ manantem

---

(1) « Dans la colique de plomb, les douleurs cessent dès qu'on a surmonté « la constipation. La principale indication étant de procurer les évacuations « alvines, tout traitement est bon lorsqu'il atteint ce but, et le traitement empi- « rique des frères de la Charité n'a rien de spécifique. » (Ratier, Propos. de méd. Thèse, 1819, n° 206.)

tersisset linteolo, et idem posteà admovisset naribus, aliquot horis elapsis, nasum ejus mirum in modum tumefactum et phlegmasiam erysipelatosam circà obortam esse.

SIPHONIA.

S. elastica, arbor guianensis. — Refert Aublet (872) hujus semina sedulò colligi servarique apud Guianenses, seque ipsum sine ullo incommodo plurima comedisse. Non-ne autem ablato anteà embryone?

STILLINGIA.

S. sylvatica, herba carolinensis. — In morbis syphiliticis specifica habetur.

TRAGIA.

T. volubilis, frutex americanus. — Capsula foliaque setis urentibus hispida (ex Sloane), ut et in *T. urente* et *T. cannabinâ*. Duas species sub nomine *Schorigenam* Reedius describit ut diureticas.

XYLOPHYLLA.

X. ceramica, frutex indicus. — Fructus ejus canes enecat, ex Rumphio.

INDEX ALPHABETICUS.

	Pars 1ª.	Pars 2ª.
ABRASIN	38	»
ACALYPHA	45	77
Acalypha	13 19 43 45 48	»
ACIDOTON	32	77
ADELIA	31	»
Ægopricon	54	»
AGYNEIA	24	»
ALCHORNEA	42	»
ALEURITES	38	77
Altora	25	»
AMANOA	15	»
Ambinux	38	»
AMPEREA	35	»
ANABÆNA	46	»
ANDA	39	78
ANDRACHNE	24	»
ANISONEMA	19	»
Anisephyllum	58	»
ANTHOSTEMA	56	»
Arachne	25	»
Arbor vernicis	38	»
Arbre d'huile	38	»
Ardinghelia	21	»
ARGYTHAMNIA	26	»
Aroton	28	»
Ateramnus	27	»
Athymalus	59	»
Aveilana purgatrix	»	94
Bernardia	31	»
Bois cassant	43	»
Bois violon	45	»
Bradleïa	18	»
Breynia	22	»
BRIEDELIA	26	79
Bromfeldia	37	»
Brunsvia	30	»
Buis	13	79
BUXUS	13	79
Cahuchu	»	76
Camirium	38	77
Caoutchouc	40	76
Cascarilla	28	82
Cassave	»	92
Castiglionia	37	»
Cataputiâ major	»	97
——— minor	»	86
Cathetus	22	»
CATURUS	45	79
Cauda felis	45	»
Chamœsyce	59	»
Cheramela	20	»
Cheramelier	20	»
CICCA	20	80
Cinogasum	28	»
CLADODES	61	»
CLAOXYLON	43	»

	Pars 1°.	Pars 2°.
Clutia	25	»
CLUYTIA	25	80
CODIŒUM	33	80
COLLIGUAYA	62	»
COMMIA	53	80
Conami	21	96
Conceveïba	43	»
CONCEVEIBUM	42	»
Crantzia	14	»
Cratochwilia	25	»
Crepidaria	59	»
CROTON	28	81
Croton 15 27 32 33 37 38	50	»
CROTONOPSIS	31	»
CROZOPHORA	27	84
Cupameni	45	»
Curcas	37	93
Dactylanthes	58	»
DALECHAMPIA	55	»
Dictamnus real	»	96
Didymandra	62	»
DITAXIS	27	»
Dryandra	38	»
DRYPETES	12	84
Duchola	54	»
ECHINUS	61	»
Eleutheranus cortex	»	82
ELÆOCOCCA	38	84
EMBLICA	20	84
EPISTYLIUM	17	»
Épurge	»	86
Eraclissa	25	»
Esula	58	88
Esula major	»	38
Esula minor	»	88
Euphorbe	57	»
EUPHORBIA	57	85
Euphorbia	58 59	»
Euphorbium	57	»
——— gummi	»	85
EXCÆCARIA	52	89
FLUGGEA	16	»
Galarhæus	58	»
Galurus	45	»
GARCIA	41	»
GELONIUM	34	»
Genesiphylla	23	»
GLOCHIDION	18	»
Gomme élastique	40	»
Gussonia	52	»
Gymnanthes	52	»
GYNOON	17	»
Hecatea	55	»
Hermesia	42	»
Hevea	39	»
HEXADICA	60	»
HIPPOMANE	51	90
HISINGERA	34	»
HOMONOIA	60	»
HURA	51	91
HYÆNANCHE	40	92
JANIPHA	37	92
JATROPHA	37	93
Jatropha 38 39 41	»	
Joannesia	39	»
Jussievia	37	»

	Pars 1ª.	Pars 2ª.
Keraselma	59	»
KIRGANELIA	21	»
Lacmus	»	84
LASCADIUM	62	»
Lathyris	59	»
Limeum	25	»
LEPTONEMA	19	»
Loureira	35	»
Luntia	28	»
MABEA	40	»
MACARANGA	43	»
Mallotus	33	»
Mancanilla	51	»
Mancenillier	51	90
Manioc	»	92
Manihot	37	92
MAPPA	44	»
MAPROUNEA	54	»
MARGARITARIA	59	»
Médicinier	37	93
Medusea	58	»
MENARDA	23	»
Mercuriale	46	»
MERCURIALIS	46	94
MICRANTHEA	24	»
MICROSTACHYS	48	»
MOZINNA	35	»
Myrobalanus	20	84
Niruri	21	96
Nux americana	»	93
—— barbadensis	»	»
Nymphantus	22	96
OMALANTHUS	50	»
Omphalandria	54	»
OMPHALEA	54	95
Omphalea	17	»
PACHYSANDRA	13	»
Palma-Christi	»	97
Panavæ lignum	»	81
Panopia	43	»
PEDILANTHUS	59	96
Peplis	59	»
Peplus	59	»
Pharnaceum	23	»
PHYLLANTHUS	21	96
Phyllanthus. 16 19 20 21 23	24	»
Phyllaurea	33	»
Pignon d'Inde	00	93
Pithyusa	59	»
PLUKNETIA	47	97
RICHERIA	16	»
Ricin	36	97
Ricinelle	45	»
RICINOCARPOS	36	»
Ricinocarpos	30	»
Ricinoïdes	28	»
RICINUS	36	97
Ricinus	44	»
ROTTLERA	32	»
Sablier	51	»
Sajor	47	97
SAPIUM	49	99
SAVIA	15	»
Schorigeram	47	100
SEBASTIANIA	51	»
SECURINEGA	14	»

	Pars 1ª.	Pars 2ª.
SIPHONIA	39	100
STILLINGIA	49	100
STYLOCERAS	53	»
SUREGADA	60	»
SYNZYGANTHERA	62	»
Tapioka	»	92
Telephioïdes	25	»
Tetragastris	33	»
THECACORIS	12	»
Tiglia grana	»	81
Tiglina	»	82
Tithymaloïdes	59	»
Tithymalus	57 58 59	»
Tournesol	76	84
Tournesolia	27	»
Toxicodendron	40	»
TRAGIA	47	100
Tragia	46 48	»
Treïsia	58	»
Trewia	33	»
TRIADICA	50	»
Tricarium	20	80
Tricera	14	»
Tridesmis	28	»
Ulassium	61	»
Vernicia	38	84
XYLOPHYLLA	23	100
Yuca	37	»
Yuquilla	37	»

EXCERPTA E VETERIBUS.

I.

Quæ medicamenta sursùm aut deorsùm aut utroque modo purgant, hæc efficiunt. Omnia valdè urunt, et ex his quidem valentia, si forte mollem aliquam corporis partem contigerint, eam ulcerant. Leviora verò turbationem in corpore excitant, quodcumque vel leviter attigerint. (Hipp., *de Morb.*, *lib.* 4.)

II.

Qui sana habent corpora, pharmacis purgati citò exsolvuntur, ut et qui pravo utuntur cibo. (Hipp., *aph.* 2. 36.)

III.

A multo tempore consueta, etiamsi fuerint deteriora, minùs insuetis turbare solent. Oportet igitur etiam ad insolita se vertere. (Hipp., *aph.* 2. 50.)

IV.

Multùm et derepentè evacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut aliter quocumque modo corpus movere, periculosum est. Enimverò omne multum naturæ est inimicum. Quod verò paulatim fit, tutum est : tum aliàs, et si quis ex altero ad alterum transeat. (Hipp., *aph.* 2. 51.)

V.

Refert qualis morbus sit, quale corpus, quale cœlum, quæ ætas, quod tempus anni : minimèque in rebus multùm inter se differentibus, perpetuum esse præceptum temporis potest. (Cels., *lib.* 3, *cap.* 4.)

VI.

Si interdùm ea quæ rectè dijudicasti auxiliis non promptè cedunt, non idcircò ad alia, prioribus rejectis, est transeundum, sed iisdem et adsimilibus, tùm victui, tùm medicamentis, est insistendum, tanquàm per ea curationem sis consecuturus. (Actuar., *de Methodo*, *lib.* 4.)